This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Gd
15
619

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

Ed 15.619

Harvard College Library

THE GIFT OF

STEPHEN SALISBURY,

OF WORCESTER, MASS.

(Class of 1817.)

3 Aug. 1896.

DE DEMOSTHENIS QUAE FERTUR ADVERSUS CALLICLEM ORATIONIS AUTHENTIA.

Dissertatio inauguralis

quam

consensu et auctoritate

amplissimi philosophorum ordinis

in

academia Fridericiana Halensi

cum Vitebergensi consociata

ad summos in philosophia honores

rite impetrandos

scripsit

Ernestus Beneke

Hanoveranus.

Halis Saxonum,

Formis Kaemmererianis

MDCCCXCII.

Gd 15.619

HARVARD COLLEGE
AUG 8 1896
LIBRARY.
Salisbury Fund.

Parentibus Sacrum.

Oratio, quae *πρὸς Καλλικλέα περὶ χωρίου βλάβης**) insripta inter Demosthenicas loco quinquagesimo quinto tradita est, a nullo unquam veterum rhetorum et grammaticorum in numerum spuriarum relata est. Nempe illis obiter plerumque ex rebus manifestis iudicantibus haec oratio vix suspicionem movere poterat, nostrae autem aetatis criticos accuratius et subtilius in singula inquirentes nonnulla ad artem Demosthenis minime accomomodata in oratione illa inesse non fugit. Bekkerus**) primus certis quidem causis non allatis orationem LV a Demosthene abiudicavit, contra Arnoldus Schaeferus***) et Blassius§), quamquam hic in nonnullis vitiis offendit, orationem a Demosthene profectam esse existimant, ita quidem ut eam primae aetati oratoris tribuant. Siggius§§) eam spuriam putans se huius rei argumenta allaturum esse professus est, neque vero adhuc promisso stetit. Praeterea Kuehnleinius§§§) et Spiekerus†) ex singulis argumentis orationem dubiam

*) Blassius (Demosth. oratt. ex rec. G. Dindorfii ed. IV. vol. III. Lips. 1889) recte *βλάβης* addidit (ex Harpocr. s. v. *χλῆδος*), quo verbo propter causam orationis careri non possit.

**) Ed. Demosth. vol. III. Lips. 1855.

***) Demosthenes u. s. Zeit. 1. Aufl. Beil. VI. p. 252 sq.

§ Die attische Beredsamkeit Lips. 1877 III. 1. p. 222 sq.

§§) Annal. philol. suppl. VI. p. 401.

§§§) De vi et usu precandi et iurandi formularum apud decem oratores atticos. Progr. Neostad. a. H. 1882 p. 25.

†) Genitive absolute in the attic orators Americ. journ. of philol. 1885 p. 341, quo loco Spiekerus orationem LV malo scriptori tribuendam esse dicit. Aliis quidem locis eam inter genuinas refert.

existimant, ceteri viri docti, cum eam commemorant, dubitare non videntur, quin vere Demosthenica sit. Sandysius*), qui plurimas orationes privatas Demosthenis commentario critico et exegetico instructas edidit, ipse quoque orationem LV in numerum genuinarum refert.

Cum neque ex personis et tempore neque ex causa ipsa ulla coniectura fieri possit, utra sententia comprobanda sit, quaestionem ad certum finem perduci non posse apparet, nisi omnia, quae ad dispositionem et elocutionem orationis pertineant, accuratissime exquirantur et cum usu Demosthenis comparentur. Qua ratione iam complures orationes Demostheni ascriptae non sine successu tractatae sunt**), ita ut me quoque orationem LV eodem modo examinantem fructum aliquem percepturum esse sperem. Minime quidem ignoro multis fortasse talem quaestionem minus gravem visum iri propterea, quod orationes privatae, quae in corpore orationum Demosthenis traditae sunt, plerumque nulla alia de causa leguntur, nisi ad ius civile atticum cognoscendum, in hac autem re nihil refert, utrum hae orationes, quippe quae sine dubio omnes Demosthenis temporibus ortae sint, a summo oratore ipso an ab aequali eius conscriptae sint. Attamen oratio adversus Calliclem habita et propter totum sermonis colorem et propter nonnullas elocutionis proprietates eximie digna esse mihi videtur, quae accuratiore studio excutiatur

---

*) Select private orations of Demosthenes Cambridge 1886 II. p. LXX.

**) Cf. Lortzing, De orationibus, quas Demosth. pro Apollodoro scripsisse fertur. Diss. Berol. 1863.

Schwarze, De oratione *Κατὰ Διονυσοδώρου* inscripta, quae inter Demosthenicas est LVI. Diss. Gott. 1870.

Rohrmann, Oratio quae est contra Macartatum, num Demosthenis esse iudicanda sit. Diss. Gott. 1875.

G. Krueger, De oratione exceptoria, quam ferunt contra Pantaenetum scripsisse Demosthenem. Diss. Hal. 1876.

E. R. Schulze, Prolegomena in Demosthenis quae fertur orationem adversus Apaturium capita duo. Diss. Lips. 1878.

Uhle, Quaestiones de orationum Demostheni falso addictarum scriptoribus I. Diss. Lips. 1883. II. Lips. 1886. — Aliae similes commentationes infra commemorabuntur.

et cum operibus genuinis Demosthenis comparetur. Qua in re si forte nonnulla affero, quae ad interpretationem quidem orationis et ad Demosthenis genus dicendi pertinent, sed paulo alieniora a re proposita sunt, haec boni consulantur, praesertim cum saepius mihi contigerit, ut Sandysii commentarium et indices Rehdantzii*) supplerem et emendarem.

Inter genuinas orationes in quaestione mea eas solas numeravi, quae omnium iudicio vere Demosthenicae habentur: I—VI, VIII, IX, XIV—XVI, XVIII—XXIV, XXVII, XXVIII, XXX, XXXI, XXXVI, LIV. Reliquae, si loci ex iis afferuntur, uncis inclusae sunt.

Commentationem autem meam ita institui, ut in primo capite exponam de argumento et dispositione orationis, in altero de singulis verbis verborumque structuris et locutionibus, in tertio de ornatu, in quarto de sententiarum compositione.

Caput. I.
De argumento et dispositione.

Actor causae, iuvenis simplex et tenuis, (cf. §§ 7 et 36) *βλάβης* accusatus est a Callicle quodam, qui illi damnum fundo suo illatum crimini dedit. Imbribus enim ortis aquae in fundum accusatoris in pago Eleusine situm irruperant et frumento aliisque rebus nocuerant. Reum autem propterea in culpa esse Callicles in libello accusatorio scripserat, quod is suum ipsius fundum in altero latere viae situm muro circumdans fossam obruisset, qua antea aquae deductae essent. Sed murus ille iam multis ante annis a Tisia, patre rei, aedificata erat. — Actio est *ἀγὼν ἀτίμητος* (cf.

*) Rehdantz, Demosth. neun philipp. Reden. II, 2 Indices 4. Aufl. cur. Blass.

Sd 15.619

Harvard College Library

THE GIFT OF

STEPHEN SALISBURY,

OF WORCESTER, MASS.

(Class of 1817.)

3 Aug. 1896.

rursus in actorem huius causae. Praeterea mutatio illa non ita gravis est. Nam in nomine proprio scribendo librarius facile errare potuit, praesertim cum nomen Callicratis in prooemio solo commemoratum in fine orationis alienum videri posset.

Sed diutius fere in hac quaestione commoratus sum. Itaque iam transeamus ad alteram partem huius capitis, ad dispositionem orationis. Ac primum quidem videamus, num in universum dispositio respondeat usui Demosthenis et regulis a veteribus rhetoribus statutis.

In prooemio (§ 1—2), quod sumptum est ex persona (*ἐκ προσώπου*)*) actor causae de calumnia litium accusatoris conqueritur, quippe qui non solum antea consobrinum commoverit, ut secum de fundo litigaret, sed etiam nunc Callicratem fratrem incitaverit, ut alteram litem sibi intenderet. (Similia sunt prooemia orationum XXII et XXIV, saepe etiam Lysias actorem causae in prooemio de litibus antea illatis disputantem facit**). Praeterea conferas, quae p. 24 ann. 1 de prooemii verbis exponam). Tum a iudicibus petit, ut animum attendant, quamvis ipse dicendi ignarus sit.

Iis quae sequuntur statim in mediam argumentationem traducimur. Nihil antea affertur, de quanam re agatur, nihil de accusatione, qualis sit. Praemittitur enim unum argumentum, quod reo gravissimum videtur esse (§ 3—7): murum iam a Tisia patre exstructum esse, quo tempore ipse nondum diu vixisset, neque vero a Calliclis patre eum in aedificando impeditum neque testes allatos esse, quorum testimoniis nunc omnia, quomodo tum se habuissent, aperta fieri possent. Praeterea Callicli, qui illo tempore iam adulta aetate fuisset, per quindecim annos, per quos patres vixissent, murum nullam offensionem praebuisse, nunc autem illum sperare se adulescentem id aetatis facile superaturum esse.

---

*) Cf. Volkmann, Die Rhetorik d. Griech. u. Roemer p. 90.

**) Cf. Volkmann l. l. p. 91—92.

His praemissis, quae satis fere esse ad defendendum reo videntur, describitur, qualis sit fundi situs, et qua de causa pater murum circum aedificaverit (§ 8—11). Haec pars quodam modo narrationem continet.

Sequitur refutatio (§ 12—19), qua refellitur Calliclis argumentum, quo maxime accusatio eius nititur, — antea fossam fuisse, ubi nunc staret murus. Hoc primum propterea credendum non esse reus demonstrare studet, quod in fundo arbores et sepulcra exstent, quae in fossa nemo unquam viderit (§ 12—15). Praeterea nusquam fossam iuxta viam reperiri (§ 16), sed aquas per vias fluere solere, omnes autem muris aggeribusque exstructis operam dare, ut eas arceant. Stultissimum vero esse eas in fundum recipere (§ 17—18). Denique fossam ibi fuisse credibile non esse, quod ea nusquam continuetur (§ 19).

Iam actor causae ad confirmationem (§ 20—34) transgressus demonstrat neminem vicinorum, quamvis multi aquis damnum accepissent, in se litem intendisse (§ 20—21). Accusatoris vero calumniam eo maiorem esse, quo minore detrimento ipse affectus sit. Audivisse autem matrem ipsius e Calliclis matre totum damnum non pluris quam quinque drachmarum aestimandum esse (§ 22—27). Vel hoc Callicli ipsi in culpam vertendum esse, quippe qui ipse quoque fundum muro circumdederit et viam ruderibus iniectis angustiorem fecerit. Ergo quid esse absurdius, quam illos sibi id obicere, quod ipsi commiserint? (§ 28—30).

Iis quae sequuntur reus iterum de malignitate et perfidia Calliclis loquitur. Neque enim solum antea consobrinum, nunc fratrem ab illo ad lites incitatos sed etiam Callarum servum in idem crimen vocatum esse (§ 31—34).

In peroratione (§ 35) actor causae iudices breviter monet, ne calumnias adversariorum iudicio suo probent. Nam se nihil admisisse etiam ex eo intellegi posse, quod rem arbitris privatis committere voluerit, accusatores autem hoc negasse.

Praeter dissolutam illam praemissionem gravissimi argumenti, qua quidem concinnitas graviter turbatur, haec dispositio in universum apta et ad regulas veterum rhetorum Demosthenisque usum accommodata est. Dilucide enim secretae sunt tres illae tractationis partes: narratio, refutatio, confirmatio. Neque enim Schaefero (l. l. p. 256), quem Blassius (l. l. p. 223) secutus est, narrationem per totam orationem diffusam esse concedo. Nam narratio, quae propter genus causae maxime continetur descriptione fundi, in §§ 8—11 inest, omnia autem alia, quae Schaefero narratio videntur esse, ad argumentorum explicationem pertinent (ut § 23—24).

Si ex hac expositione scriptorem orationis adversus Calliclem imbutum fuisse ratiocinaremur eximia illa arte disponendi, quam Demosthenis propriam esse neminem fugere credo, qui orationes eius perlegit, valde erraremus. Adhuc enim universa tantum contemplati sumus, iam vero in singulorum argumentorum et sententiarum dispositionem inquirendum est, qua perspecta fortasse aliter iudicabimus. Iam Blassius (p. 224 sq.) cum orationem dilucide dispositam esse negat, complures locos affert, quibus argumenta et sententiae vel non suo loco posita vel molesto modo repetita esse ei videntur. Cum non in omnibus illi assentiri possim, contemplemur singulos locos, qui offensionem praebent.

Verba § 3 *ἐν δὲ τούτοις τοῖς ἔτεσιν ἅπασι* sensum non praebere Blassius censet, nisi antecedant verba sequentis paragraphi *πλέον μὲν ἢ πέντε— Καλλιππίδου.* Itaque ordinem verborum perturbatum esse putat. Neque vero hoc suspicari opus est, cum verba ita, ut tradita sunt, bene intellegi possint. Orator enim exponit eo tempore, quo fundus a patre muro circumdatus esset, se vixdum natum fuisse (*περιῳκοδόμησεν ὁ πατὴρ μικροῦ δεῖν πρὶν ἐμὲ γενέσθαι*). Deinde si pergit: *ἐν δὲ τούτοις τοῖς ἔτεσιν,* haec verba optime referri possunt ad annos, qui intercedunt inter muri aedificationem et tempus, quo actor causae accusatus est.*)

*) Itaque Blassius in editione sua sine causa verba transposuit.

In § 8 Blassius (p. 225 ann. 4) non sine idonea causa sententiarum concinnitatem desiderat. Quid enim sibi volunt in fine § 8 verba *τὸ μὲν γὰρ χωρίον ὁμολογεῖται καὶ παρ' αὐτῶν τούτων ἡμέτερον ἴδιον εἶναι?* Hoc argumentum neque cum iis, quae antecedunt, neque cum iis, quae sequuntur, cohaeret, redit autem in § 13 *εἰ μὲν οὖν μὴ συνεχωρεῖτο — ἀμφισβητοῦσιν,* in quem locum apte quadrat.

Non minus molesta neglegentia in § 9 invenitur. Hic enim orator locutus de arbitris privatis ab adversariis recusatis verbis *δῆλον δ' ὑμῖν καὶ τοῦτ' ἔσται πᾶσιν* se hanc rem statim comprobaturum esse profitetur, ita ut illum paulo post testes de reiectione arbitrorum prolaturum esse putemus. Sed hoc non prius fit, quam in fine totius orationis. In peroratione (§ 35) enim reiectione illa arbitrorum iterum commemorata orator ea testimonia recitari iubet, quae reliqua sint. Haec igitur in argumentatione suo loco proferre oblitus erat, quae res luculenter docet, quanta incuria dispositionis oratio conscripta sit.

Non plane Blassio (p. 225 ann. 6) assentior, cum in verbis § 12 *παρέξομαι μὲν καὶ μάρτυρας ὑμῖν τοὺς εἰδότας, πολὺ δὲ τῶν μαρτύρων ἰσχυρότερα τεκμήρια* propterea offendit, quod argumenta illa testibus graviora ipsa quoque testibus confirmanda sint. In hac re Blassius verba oratoris nimis urgere mihi videtur. Is enim demonstrare studet iuxta fundum non fuisse fossam eo tempore, quo pater murum aedificavisset. Cuius rei testes se allaturum esse dicit, praeterea autem argumenta testibus multo graviora. In fundo enim sepulcra et arbores stare, haec autem in fossa nunquam inveniri. Hoc argumentum optime testibus illis opponi posse puto, quamquam ipsum quoque testibus confirmandum est. Sed alia res digna est, cuius mentio fiat. Argumentum enim illud, quod tam grave esse ille dicit, nihil omnino valet. Neque enim ullo modo ex eo, quod in fundo sepulcra et arbores stant, cogi potest eadem fuisse eo loco, quo nunc murus exstructus est. Consulto autem oratorem studere tali sophismate iudices fallere

intellegi potest ex verbis § 12, quibus rem aperte detorquet: *Καλλικλῆς μὲν γάρ φησι τὴν χαράδραν ἀποικοδομήσαντα βλάπτειν ἐμὲ αὐτόν· ἐγὼ δ' ἀποδείξω χωρίον ὂν τοῦτ', ἀλλ' οὐ χαράδραν.* Captio latet in verbis illis *χωρίον ὂν τοῦτο,* quae non sine ratione tam ambigue dicta sunt. Confunduntur enim iis fundus et locus, quo murus stat. Idem fit in sequentibus verbis. Falso Schaeferus (p. 255) ex oratione colligit oratorem demonstrasse arbores et sepulcra prope murum esse, quod argumentum fortasse afferri potuit. Neque vero hoc ex oratoris verbis ullo modo cogi potest, quippe qui illa in fundo (§ 13 *ἐν τῷ χωρίῳ,* § 15 *τὸ χωρίον εἶναι δένδρων μεστόν*), non prope murum stare expressis verbis dicat. Alienum quidem a Demosthene tale sophisma non est, quem artificia rhetorica minime fugisse notissimum est.*) Itaque relicta hac quaestione, quae paulo longius a re proposita nos abduxit, perscrutari pergamus, quomodo singulae orationis partes dispositae atque coniunctae sint.

Transgressionis formulam in § 16 *ἄξιον δὲ καὶ περὶ τῶν ἄλλων, ὧν Καλλικλῆς εἴρηκεν, ἀκοῦσαι* ad hunc locum minime aptam esse Blassio (p. 225 ann. 6.) concedendum est. Neque enim iis, quae sequuntur, ullo loco dicitur de iis, quae Callicles in accusatione protulit. Talis neglegentia non est perfecti oratoris.

Similiter in § 19 verba *ταῦτα τοίνυν ἐγὼ πάσχων καὶ πολλὰ ἕτερα καὶ δεινὰ* formulam continent, quae nullo modo respondet iis, quae antecedunt. Blassius (p. 226 et in ed. s. ad h. l.) talem indiligentiam ferri non posse ratus librarii vitio nonnulla enuntiata omissa esse censet. Molestissima quidem haec transgressio est, sed facere non possum, quin eam scriptori orationis tribuam, quippe quem similia saepius commisisse ex iis, quae partim iam exposui, partim infra afferam, intellegi possit. Unum praeterea addam, quod transitum tam dissolutum quodam modo excusare possit. Antecedunt enim verba iocosa *οὐ γὰρ*

---

*) Cf. Blass. l. l. p. 184 sq. p. 377.

ἐκπιεῖν γε δήπου etc., quibus iudices Athenienses cavillationis amantissimos ad risum excitatos esse verisimillimum est. Qua de causa fortasse orator, praesertim cum ad novam partem transiret*), in dicendo pausam facere coactus verba sequentia non tam arto cum antecedentibus coniungebat. Attamen etiam si hoc respicimus, restat gravis neglegentia in coniungendis orationis partibus.

Non minus offensionis inest in enuntiato § 20 *ὃ καὶ πάντων ἐστὶ δεινότατον — εἴληχε δίκην*. Nam inde ab initio § 20 *τὸ δὲ εἰσπεσὸν ὕδωρ* etc. orator reliquorum vicinorum neminem conquestum esse exponit. Deinde subito verbis *ὃ καὶ πάντων* etc. affertur novum argumentum (Calliclem ipsum quoque murum aedificasse), de quo infra demum (§ 28—30) accuratius disputatur. Verbis autem *καίτοι εἰ ὅσοι* oratio redit ad vicinos, unde devertit, ita ut omisso enuntiato illo *ὃ καὶ — εἴληχε δίκην* nihil desideraremus**). Itaque hoc loco duo argumenta a scriptore dispositionis dilucidae ignaro confusa sunt.

Quod Blassius (p. 225 ann. 5) monet verba § 21 *πεπονθότες μὲν οὐδέν, ὡς αὐτίκα ὑμῖν ἐγὼ σαφῶς ἐπιδείξω* spectare ad ea, quae in § 23 demum accuratius explanentur, hoc non ita grave vitium ducam. Magis in eo offendo, quod in eadem paragrapho verbis *οὗτοι μὲν γὰρ εἰ καί τι πεπόνθασιν* orator iam transit ad novum argumentum, priusquam testimonia vicinorum, de quibus antea dictum est, prolata sunt. Itaque suam orationem interrumpit verbis *ἀλλ' ἵνα μὴ πάνθ' ἅμα συνταράξας λέγω*, quibus argumentationem confusam esse ipse concedens vi, ut ita dicam, perturbationem orationis solvit. Dissolutissimus enim est ordo in hac paragrapho, in qua tria argumenta diversa confunduntur. Primum est: accusatorem nullum fere damnum accepisse, alterum: reliquorum vicinorum neminem conquestum esse, tertium: sua ipsius culpa accusatorem damnum accepisse.

---

*) Verba in textu intervallo distinguenda esse nemo editorum vidit.

**) Fortasse inseri possunt haec verba in § 29 inter verba *προσσυκοφαντοῦσιν* et *καίτοι ὦ Καλλίκλεις*, quo loco sensum praebent. Sed gravior et vix credibilis est talis corruptela.

Non maiore arte orator in § 22 se statim testibus probaturum esse profitetur Calliclem suum ipsius quoque fundum muro circumdedisse, in § 27 iisdem fere verbis repetitis (*ὅτι καὶ τὸν χλῆδον εἰς τὴν ὁδὸν ἐκβεβλήκασιν* etc.) testimonia illa recitari iubet, in §§ 28—30 demum de re ipsa copiosius loquitur.

Minime etiam verba § 33 *εἰ μὲν οὖν—πλείω λέγειν* in contextum quadrant. Continent enim tales formulas, quales in peroratione usurpari solent, ita ut haec verba legentes conclusionem incipere existimemus. Sed sequens paragraphus rursus ad argumentationem respicit, cum in ea testimonia proferantur de calumniis adversariorum, de quibus orator in §§ 31—32 conquestus erat. Perorationem autem § 35 demum continet.

Satis mihi ex iis, quae exposui, apparere videtur dispositionem singularum orationis partium plane carere arte illa, qua Demosthenis orationes excellunt. Neque enim solum in argumentis conectendis saepe formulae minime aptae adhibentur, sed etiam singula argumenta repetuntur et confunduntur, ita ut nonnullis locis contextus orationis molestissimo modo perturbetur. Itaque hac in re orationem Demosthene indignam esse censeo. Nam ne Blassio quidem, qui orationem Demostheni vindicare studet, concedere possum, plurima eorum, quae offensionem praebent, ex depravatione textus orta esse, propterea quod et scripta Demosthenis in universum sine gravibus corruptelis tradita sunt et vitia illa dispositionis plerumque talia sunt, ut multo verisimilius sit ea ex scriptoris inscitia, quam ex librarii errore fluxisse.

Sed haec dispositionis perturbatio, quamvis magnam suspicionem moveat, non satis valet ad orationem a Demosthene abiudicandam. Quaerendum igitur nobis est, num aliis quoque rebus oratio LV a scriptis Demosthenis, quae omnium iudicio genuina putantur, abhorreat. Itaque iam ad elocutionem orationis tractandam transeamus.

Caput II.

De singulis verbis verborumque structuris et locutionibus.

Primo loco huius capitis tractabo ea verba et locutiones orationis LV, quae cum usu Demosthenis congruunt. Haec sunt digna, quae afferantur:

§ 1 *Ὅπερ ἐμοὶ νυνὶ συμβέβηκεν.* Cf. XVIII, 148 *ὅπερ συνέβη,* LIV, 25 *ὅπερ ἐμοὶ συνέβη* [LVIII], 59. Isocr. XV, 104 *ὅπερ ἐμοὶ συμβέβηκεν.*

§ 2 *Ἐξελεγχθεὶς δὲ φανερῶς.* Similiter XVIII, 136. XXIII, 206. XXVIII, 9. [XXIX], 3. [XLI]. 13, 15. [LVIII] 54.

Δίκας ἐρήμους μου κατεδιῃτήσατο. § 6 *ἐρήμην κατεδιῃτήσασθε.* § 31 *ἐρήμην μου καταδεδιῄτηται τοιαύτην ἑτέραν δίκην.* Femininum adiectivi *ἔρημος* non adhibetur nisi in sermone iudiciali, in quo utraque forma usurpatur et *ἔρημος δίκη* et *ἐρήμη δίκη* (cf. Maetznerum ad Lycurgi Leocrateam § 17, p. 108). Kuehnerus (gramm. ed. Blass. § 147 I, 1a) *ἐρήμη δίκη* frequentius inveniri dicit, quod in Demosthenis quidem orationes non quadrat. Hoc facile cognoscimus, si exempla contemplamur, quae Midiana praebet, in qua pariter atque in oratione LV utraque forma legitur: XXI, 85 *τὴν ἐρήμην δεδωκότα,* 87 *κατηγορῶν ἔρημον,* 87 *ἔρημον ὦφλε δίκην,* 92 *ἔρημον καταδιαιτησάντων αὐτοῦ.* Itaque Demosthenes, si alterutram formam, *ἔρημος δίκη* praeferebat.

Τουτονί. Blassius*) demonstravit adversarium significari plerumque pronomine *οὗτος,* formam autem *οὑτοσί* de eo non usurpari, nisi nomen proprium additum esset, ut hoc loco.

Φανερῶς συκοφαντοῦμαι (id. § 26). Cf. XXI, 116 *φανερῶς τὸν Ἀρίσταρχον ἐσυκοφάντει.*

§ 3 *Ἐν μὲν οὖν — παρέχομαι δίκαιον* (simil. [XLI], 7).

---

*) Demosthen. Studien. Mus. Rhen. XLIV. p. 8.

Saepius in corpore orationum Demosthenis *τὰ δίκαια* significant argumenta aut purgandi sui aut alterius arguendi (cf. Reiskii indices Demosth. s. v.). Locos nonnullos congessit Huettnerus*) Singularem *τὸ δίκαιον* hac notione apud Demosthenem non legi nisi XXXI, 13.

Μικροῦ δεῖν. De hoc **infinitivi usu apud** oratores atticos cf. Gruenewaldium in diss. sua: Der freie formelhafte Infinitiv der Limitation (i. Schanz' Beitr. z. histor. Syntax) Wuerzb. 1888 p. 9. Affert ille ex Demosthene sex locos huius generis. Etiam apud reliquos oratores exempla exstant.

Μικροῦ δεῖν πρὶν ἐμὲ γενέσθαι. Cf. Sturmium in diss. sua: Geschichte d. Entwickl. d Construction mit *πρίν* (i. Schanz' Beitr.) Wuerzb. 1882 p. 121, qui cum hoc loco confert XXX. 28 *τὸ χωρίον ἐκέκτητο ἔτι πρὶν γενέσθαι τὴν δίκην* et Isocr. I, 31 *μικρὸν πρίν.*

§ 5 *Ἵνα* c. indicat. praeteriti, quod in sequente quoque paragrapho legitur, non infrequens est in orationibus genuinis. Collegit locos Weberus in diss. sua: Entwicklungsgeschichte der Absichtssaetze (i. Schanz' Beitr.) Wuerzb. 1885 II p. 37 et p. 107.

Μηδὲν ὑμῖν ἦν δυσχερὲς πρὸς ἀλλήλους. Cf. XVIII, 95 *εἴ τι δυσχερὲς αὐτοῖς ἐπέπρακτο πρὸς ὑμᾶς.* [XLI], 9 *ἵνα μηδὲν δυσχερὲς ἡμῖν εἴη πρὸς ἀλλήλους.* Ceterum communio et verborum et sententiarum inter orationes XLI et LV, quam Blassius (ed. Demosth. III. praef.) copiosius demonstravit, tam singularis est, ut harum orationum scriptorem in causis diversissimis plane easdem locutiones usurpantem de tali sermonis egestate graviter obiurgare debeamus.

§ 6 *Μὴ λόγῳ μόνον, ὥςπερ νῦν, ἀλλ' ἔργῳ.* Sescenties haec oppositionis formula apud oratores atticos invenitur. *Ὥσπερ νῦν* eodem modo additum est [LXI], 20.

Πλέον ἂν ἦν ὑμῖν συκοφαντοῦσιν οὐδέν. Hanc locutionem Demosthenes dativo participii eodem modo adiuncto usurpat: XIX, 42. XX, 103. [XXXII], 17. [XXXV], 31. Eandem apud alios oratores repperi: Isocr. XXI, 7. Antiph. V, 16.

§ 7 *Ἕκαστα τούτων.* Uno loco apud Demosthenem

***) Demosthenis pro Phormione oratio. Diss. Erlang. 1885 p. 34.**

pariter pronomen ἕκαστον addito genetivo in plurali positum est: XXX, 30 ἕκαστ' αὐτῶν. Idem legi Isac. frgm. 23 (ed. Scheibe) ἕκαστα τῶν ἐν τῷ λόγῳ. Isocr. XI, 45. Lys. IX, 74.

Ἐξήρκει ταῦτ' αὐτοῖς ἠδικημένοις περιορᾶν. Cf. XIX, 33. XXIV, 117. ἐξήρκει ἂν αὐτοῖς ἀπεστερηκόσι — μὴ φροντίζειν. Jsac. V, 19 ἐξήρκεσε τὰ ἡμέτερα ἡμῖν κομισαμένοις ἀπηλλάχθαι.

§ 8 Ἵνα εἰδῆτε (id. § 27, § 34). Hanc formulam in deliciis habent plurimi oratores maxime in testimoniis proferendis. Cf. Weberum in diss. laud p. 21, p. 37, p. 40.

Κατεψευσμένοι πάντ εἰσὶν ἡμῶν. Locos, quibus καταψεύδεσθαι c. gen. (falsa comminisci de) apud Demosthenem adhibitum est, coll. Rehdantzius ind. II s. v. κατά.

§ 9 Διὸ καί § 11 διὸ δή. In corpore orationum Demosthenis διὸ καί legitur I, 11. XIV, 26. XIX, 40. [LVI], 9. [LVIII], 25. [ep.] I, 12. nuda particula διό XX, 162. XXII, 67. XXX, 11. [XXIX], 60. [XXXIII]. 54. [XXXVII], 20. [LI], 2. Διὸ δή mihi non occurrit.

Τοῖς εἰδόσι—, τοῖς ἴσοις, § 25 τοῖς εἰδόσιν, ἴσοις καὶ κοινοῖς. Cf. XVIII, 7 ἴσος καὶ κοινὸς ἀμφοτέροις ἀκροάτης. [XXIX]. 1. [XL], 39. [LXI], 14.

Ἀλλ' οὐχ οὗτοι — ἀλλά. Cf. XXIII, 75 ἀλλ' οὐχ οὗτος — ἀλλά. Non infrequens est hic usus duplicis particulae ἀλλά et apud Demosthenem et apud reliquos oratores.

Καθάπερ. De hac. particula vid. p. 42.

§ 10 Καὶ δὴ καί. Idem legitur LIV, 14. Aesch. II, 114*)

Κατὰ τὴν ὁδόν, § 11 κατὰ τοῦτο τὸ χωρίον. Cf. Lutzium in comment. sua: Die Praepositionen b. d. att. Rednern, Progr. Neostad. a H. 1887 p. 73, qui complures locos affert, quibus idem usus localis praepos. κατά apud Demosthenem invenitur.

§ 11 Ἐπινεμόντων ἅμα καὶ βαδιζόντων. Pariter ἅμα postpositum est XXII, 11. XXIV, 80. Idem praebent ceteri oratores**).

---

*) Cf. Baeumlein, Untersuch. üb. d. griech. Partik. p. 151. Frequens est haec particularum coniunctio apud Platonem.

**) Cf. Gebauer, De hypotacticis et paratacticis iudicii ex contrario formis p. 326.

§ 13. *Τοῦτο ἀμφισβητοῦσι.* Verbum *ἀμφισβητεῖν*, ut alia quoque verba eiusdem generis, cum accusativo non coniungitur, nisi res, de qua ambigitur, significatur pronomine, ut XXVIII, 2. *ὃ καὶ ἡμεῖς ἀμφισβητοῦμεν.* XXIV, 13. Praeterea verbum duplicem constructionem habet aut cum genetivo aut cum praepos. *περί* c. gen. sine ulla differentia sensus*).

§ 14 *Πρότερον ἢ — καὶ πρίν.* De raris locis, quibus ab oratoribus atticis *πρότερον ἢ* eodem modo adhibetur, atque particula *πρίν*, vid. Sturmii diss. supr. laud. p. 123 In corpore orationum Demosthenis haec constructio non invenitur nisi XXXI, 12, 14. His autem locis *ἢ* separatum est a *πρότερον*.

§ 16 *Καὶ πάλιν ὅτι.* Simil XXI, 140 *καὶ πάλιν ὡς* et saepius. Cf. Gebauerum p. 327.

§ 17 *Αὐτὸ τοὐναντίον.* Idem legitur XXII, 5, [XLV], 12. (Aff. hos locos Rehd. ind. II. s v., accusativus p. 40). Cf. Andoc. III, 7 *αὐτὸ τὸ ἐναντιώτατον.* Blassius idem scripsit pro *αὖ τοὐναντίον* XXI, 120, 136.

Τὸ γὰρ ὑπὲρ τούτου δίκαιον δῆλον ὅτι κἀκείνοις ὑπάρξει πᾶσι λέγειν. (Similis est sententia XVIII, 117 *ταὐτὰ γὰρ δίκαιά ἐστί μοι περὶ αὐτῶν τοῖς ἄλλοις δήπου*) De hoc usu praepositionis *ὑπέρ* cf. Lutzium (in progr. laud. p. 89), qui cum hoc loco comparat XXII, 12 *εὑρήσετε γὰρ τοῦτο τὸ ἰσχυρὸν ὑπὲρ τοῦ δήμου κείμενον.* Praeterea conferre licet [ep.] III, 5 *τἀληθῆ καὶ τὰ δίκαια ἀκούειν ὑπὲρ αὐτοῦ.*

§ 18 *Ἀλλὰ μὴν εἴγε — ἦ που σφόδρα.* Locos, quibus hoc enthymematis genus apud Demosthenem et reliquos oratores usurpatum est, coll. Gebauerus p. 71.

Θαῤῥῶν. Similiter hoc participium adhibitum est XXIII, 94. Dinarch. II, 22. Isocr. [epist], IV, 8.

Διότι (id. § 34) pariter pro *ὅτι* (= quia) XIX, 331. XX, 119, XXXI, 7. Vid. infra p. 42.

---

* Voemelii sententia (Demosth. contiones. ind. s. v.), qui duas illas constructiones sic secernit: *ἀμφισβητ. περί τινος* = controversiam habere de aliqua re, *ἀμφισβητ. τινος* = vindicare aliquid, cum in alios locos tum in [LVII], 27 non quadrat.

Οὐ γὰρ ἐκπιεῖν γε δήπου. Formulam *οὐ γὰρ δήπου* frequentissimam esse apud omnes oratores intellegi potest ex locis, quos Gebauerus (praef. p. XVIII) collegit.

§ 19 *Χἄτερ' ἄττα.* Eadem forma pronom. indef. apud Demosthenem legitur I, 28. III, 32. XIX, 210. XXII, 8 *ἕτερ' ἄττα.* XXIII, 72 *ἀλλ' ἄττα.* [XXXV], 31. [XXXVII], 33*) Praeterea eam repperi apud Aeschinem II, 98.

Ὁμολογούμεναι χαράδραι In orationibus genuinis particip. *ὁμολογούμενος* semel attributive usurpatum est XXX, 30 *ταῦτ' οὐχ ὁμολογουμένη προστασία;* Exorationibus supposititiis haec similia exempla notavi [XL IV], 27 *τὸ ὁμολογούμενον γένος* [LVI], 1 *ἀργύριον φανερὸν καὶ ὁμολογούμενον.* Sandysius (ad. h. l.), qui hanc locutionem *ὁμολογούμεναι χαράδραι* recte appellat „a curious expression", comparandi causa affert Andoc. [IV], 17 *οὐδὲν ἧττον τῶν ὁμολογουμένων δούλων.* Pariter Isae. VI, 49 *ἡ τούτων μητὴρ οὕτως ὁμολογουμένη οὖσα δούλη***).

Ὡσαύτως. Eadem particula legitur XIX, 226, praeterea [XXVI], 3, 5, 6. Itaque Braunius***), cum ad hanc orationem [XXVI] annotat: „Quam particulam frustra apud oratores atticos quaesivi", non satis diligenter quaesivisse videtur. Mirabile quidem est hanc vocem tam raro in corpore orationum Demosth. reperiri §).

§ 20 *Ὃ καὶ πάντων ἐστὶν δεινότατον.* De hoc annectendi genere pronomine relativo cum vocula *καὶ* facto homines docti permulta disputaverunt et in diversissimas sententias discesserunt. Locos, qui huc pertinent, ex omnibus oratoribus accuratissime congessit Gebauerus (p. 96—97). Demosthenis orationes genuinae unum eiusmodi locum exhibent XIX, 86

---

*) Cf. Rehd. ind. II s. v. Uhle, De prooemiorum collectione, quae Demosthenis nomine fertur, origine. Progr. Chemnitz. 1885, p. 5.

**) Contra Pseudodemosth. [XXIX], 14 *τὸν ὁμολογουμένως δοῦλον.*

***) De duabus adversus Aristogitonem orationibus, quas Demosth. scripsisse fertur. Diss. Gryphisw. 1873 p. 23.

§) Apud Herodotum et Platonem frequentissima est, apud Thucydidem non legitur, ne apud oratores quidem alibi exstare videtur.

ὃ καὶ θαυμάζω, εἰ. Orationes spuriae plura exempla praebent. Si in quaestionem illam, quomodo ortum sit et quid significet illud ὃ καὶ accuratius inquireremus, longius a re proposita abduceremur*).

§ 21 Πολλὰ καὶ μεγάλα βεβλαμμένων. Cf. XXIV, 61 μεγάλ' ἂν βλάπτοις. XXVIII, 18 μεγάλα βλάπτομαι.

Ἐνεχώρει τοῦτο πράττειν. Verbum ἐγχωρεῖν eodem modo semel apud Demosthenem impersonaliter usurpatum cum infinitivo coniungitur: VIII, 2 ἐγχωρεῖ σκοπεῖν, sine infinitivo legitur IV, 41, personaliter XXX, 39. Cf. Lys. XXIV, 17 ἐγχωρεῖ ὑβρίζειν. In deliciis verbum habet Antiphon**).

Πάντα ἅμα συνταράξας. Cf. XXIV, 44 πάντα τὰ πράγματα συνταράξαι.

§ 23 Χρωμένης τῇ τούτων μητρί. De hoc usu verbi χρῆσθαι apud Demosthenem vid. Reiskii Ind. s. v.

Οὕτω μοι πολλὰ ἀγαθὰ γένοιτο, — εἰ δὲ ψεύδομαι. Cf. LIV, 41 καὶ εἰ μὲν εὐορκῶ, πολλά μοι ἀγαθὰ γένοιτο, — εἰ δ' ἐπιορκῶ. [LVII], 57 πολλὰ ἀγαθὰ γένοιτο πᾶσιν ὑμῖν. [prooem.], 33 οὕτω τί μοι ἀγαθὸν γένοιτο. Recte Swoboda***) de talibus locutionibus, quae in formulas abierunt et vel in iurandi formulis inscriptionum frequentes sunt, argumenta ex iis sumpta ad quaestionem de auctore explicandam cautionem habere dicit.

Ἀποκλιθῆναι μέν — οὐ μέντοι παθεῖν γ' οὐδέν. Apud Demosthenem haec particularum coniunctio legitur XX, 105 παροξυντικοὶ μὲν εἶναι — οὐ μέντοι δίκαιοί γ' οὐδαμῇ. XXI,

*) Rectissime mihi de hac re videtur iudicasse Schoemannus (ad. Isae. p. 186), quem secuti sunt Frohbergerus ad Lys. XXX, 28, Gebauerus l. l. p. 306, alii. Is enim existimat talibus locis pronomen relativum aut obiectum esse aut subiectum spectareque semper ad praecedentia, illud autem enuntiatum, quod sequatur, exuntiati relativi epexegesin continere.

**) Cf. Morawsky, Bemerk. z. d. att. Rednern. Ztschr. f. oestr. Gymn. 1879 p. 166.

***) De Demosthenis quae feruntur prooemiis Vindob. 1887 p. 62. ann. 1

16. [XXXV], 40. [XLIX], 21. Apud Lysiam invenitur XII, 2. XXXI, 2, 19 *).

§ 25 *Οὐ γὰρ δὴ τειχίον γε.* Hac formula *οὐ γὰρ δή—γε* cum reliqui oratores tum Demosthenes saepissime utuntur (cf. Gebauer. praef. p. XVI). Ex Demosthene afferre liceat VI, 12 *οὐ γὰρ δὴ τριήρεις γ' ὁρᾷ πλείους αὐτοῖς ἢ ὑμῖν οὔσας.*

Λογιστέον ἐστίν. Eadem adiectivi verbalis forma invenitur XXVII, 36 **).

§ 26 *Ὁπότε δέ — τί δεῖ πλείω λέγειν.* De usu particulae *ὁπότε* in enuntiatis causalibus, quibus aut praecedit aut succedit enuntiatum interrogativum, egit Gebauerus p. 63—68. Locos, quibus apud Demosthenem partic. *ὁπότε* habet vim causalem, congessit Rehdantzius i. ind. II s. v. *ὅτε.* (add. XXII, 53). — Simillimus est locus [XLI], 25 *ὁπότε γάρ — τί δεῖ μακρολογεῖν.*

Τοσούτου χρόνου διελθόντος. Cf. II, 25. III, 5. V, 5. *χρόνου βραχέος διελθόντος.* XXIII, 153. Isocr. X, 41.

Οὐδὲ γὰρ ἐκ τούτων ἄδηλον, ὅτι. Cf. XX, 1. XXX, 6. [XLV], 61. Reliqui quoque oratores hanc *λιτότητος* formam adhibent, ut Isocr. IV, 162.

Ἀλλ' οὐ δήπου. Cf. XXI, 98 *ἀλλὰ μισεῖν ὀφείλετε – δήπου.* Idem saepius legitur.

§ 29 *Τούτοις δὲ τοσοῦτον περίεστιν, ὡς ἔοικεν, ὥστε.* Cf. XXI, 17 *τοσοῦτον αὐτῷ περιῆν, ὥστε.* In hac locutione supplendus est genetivus (*ὕβρεως* sive sim.) pendens a pronomine *τοσοῦτον*, qui adiunctus est [XII], 7. Cf. Weilium ad h. l.

Εἰ καὶ ὑμῖν — καὶ ἡμῖν. De hoc usu particulae *καί* scripsit Gebauerus p. 311. Exponit ille eiusmodi locis, quibus in ratiocinando ex pari de pari coniectura fiat, particulam *καί* significare, quae utroque membro contineantur, congruere inter se invicemque respondere. Loco laudato

*) Cf. Fuhr, Excurse z. d. att. Rednern. Mus. Rhen. XXXIII p. 594. Rehdantz. ind. II. s. v. *γε.*

**) Cf. E. R. Schulze, Quaestiunculae grammaticae ad oratores atticos spectantes. Progr. Budiss. 1889 p. 5.

similis est Isae. VIII, 31 *εἰ τοίνυν καὶ ζώσης κύριος αὐτὸς μὴ ἐγένετο, — δῆλον ὅτι καὶ τετελευκυίας — ἡμῖν προσήκει.* Apud Demosthenem hunc usum particulae *καί* non ita frequentem esse ex Gebaueri quaestione intellegi potest.

§ 30 *Ἀπροσδοκήτως.* Idem adverbium repperi LIV, 1.

Φράττοντα τὰ ἑαυτοῦ. Cf. XXI, 17 *τὰ παρασκήνια φράττων.*

Ἡγοῦμαι — νομίζω. Similiter variata sunt verba *ἡγεῖσθαι* et *οἴεσθαι* II, 9, *νομίζειν* et *οἴεσθαι* XVIII, 252 *ὁ βέλτιστα πράττειν νομίζων καὶ ἀρίστην ἔχειν οἰόμενος.*

Διεφθαρμένον ὑπὸ νόσου. Cf. LIV, 39 *τὸν τοὺς ὀφθαλμοὺς διεφθαμένον.* [XLVIII], 52 *διέφθαρται καὶ παραφρονεῖ.* Isocr. XII, 269 *ἐμὲ δὲ διεφθάρθαι καὶ παντάπασιν εἶναι μωρόν.*

Πρὸς γὰρ τοῖς ἄλλοις κακοῖς καὶ τοῦτο. Cf. XVIII, 16 *καίτοι πρὸς ἅπασι τοῖς ἄλλοις δικαίοις — καὶ τοῦτο,* [ep.], III, 43 *πρὸς τοῖς ἄλλοις κακοῖς.* Isocr. XV, 142 *πρὸς τοῖς ἄλλοις κακοῖς.* Ceterum de hoc usu praepositionis *πρός* cf. Lutzium in progr l. p. 157.

§ 33 *Οὐδὲν ἂν ὄφελος εἴη τῶν εἰρημένων.* Cf. IX, 69 *τί τούτων ὄφελος;* LIV, 15, 33 *οὐδὲν τῆς ἀληθείας ὄφελος.* [XLI], 26. [LIII], 27. [LVI], 2.

Ἐλαύνειν (= vexare) cum eadem notione legitur XVIII, 48. XXI, 66, 111, 134, 173, XXXVI, 52. [ep.], III, 29.

Haec habui, quae dissererem de singulis verbis et structuris, quae in oratione LV usui Demosthenis respondent. Qua in re facere non possumus, quin dicamus nullo loco similitudinem talem esse, ut orationem Demostheni ascribere cogamur. Nam aut ea, quibus genuina opera Demosthenis et Calliclea inter se congruunt, propria sunt communis sermonis attici, aut similitudo locorum tam levis est, ut casu eam factam esse verisimillimum sit*).

*) Compares etiam § 14 *Τίς ἂν ἔτι λόγος ἰσχυρότερος γένοιτο;* cum Isocr. XVII, 53 *τίς ἂν ἔλεγχος ἰσχυρότερος τούτου γένοιτο;* Praeterea exordium orationis LV *Οὐκ ἦν ἄρα χαλεπώτερον οὐδὲν ἢ γείτονος — τυχεῖν, ὅπερ ἐμοὶ νυνὶ συμβέβηκεν* cf. cum [XL] 1. [LII], 2. [prooem] 31. Isocr. XVII, 2. Nemo propter talem nonnullarum locutionum communionem scriptores eosdem esse iudicabit.

Iam igitur videamus, quibus rebus oratio LV discrepet a Demosthenis genere dicendi. Ac primum quidem ea verba et locutiones enumeremus, ex quibus, quamquam Demosthenes iis non utitur, tamen certis de causis differentia elocutionis cogi non potest. Haec verba propterea apud Demosthenem non inveniuntur, quod ad tales res spectant, quales solius orationis LV propter genus causae propriae sunt:

§§ 3, 4, 8, 15, 29, 32 *περιοικοδομεῖν τὸ χωρίον* (fundum muro circumcludere). § 11 *περιοικοδομεῖν τὴν αἱμασιάν* (murum circa fundum aedificare).

§ 4 *ἐπιβιοῦν.*

§§ 5, 12, 30 *ἀποικοδομεῖν.*

§ 5 *χαράδρα.*

§ 10 *εὐοδεῖν.*

§ 11 *ἐπομβρία*, ib *ἀστικός*, ib. *ὁδοποιεῖν*, ib. *ἐπινέμειν*, ib. *αἱμασιά.*

§ 15 *ἀποφράττειν* ib. *παροικοδομεῖν* ib. *παραλλάττειν.*

§ 18 *διαπίπτειν.*

§ 19 *χείμαῤῥος.*

§ 20 *ἁμαξιαῖος*, ib. *προσκομίζειν.*

§ 22 *χλῆδος.*

§ 24 *βρέχειν*, ib. *ξηραίνειν*, ib. *ἐποικοδομεῖν.*

§ 29 *μετέωρος.*

Addenda sunt verba eiusdem generis, quae a Demosthene alio sensu atque in oratione LV, plerumque translate, adhibentur:

§ 5 *ἐμπίπτειν* sensu proprio, apud Demosthenem translate XVIII, 42, 59, 211, saep.

§ 10 *καταῤῥεῖν* sensu proprio, II, 10 translate.

ib. *ὑπεραίρειν εἰς τὰ χωρία*, XVIII, 220 *ὑπερῆρας τοὺς ἄλλους ῥώμῃ.*

§ 15 *βιάζεσθαι* absolute de aqua usurpatum = per vim erumpere. Apud Demosthenem saepe de personis. Coll. loc. Rehd. ind. II. s. v. (add. XIX, 238).

§ 24 *ἀπιοκλίνειν* vid. Reisk. ind. s. v.

Aliis de causis*) ad quaestionem propositam nihil valent haec differentiae:

*) Quod dativum ineptum § 10 *τοῖςχωρίοις*, qui neque cum *περιέχοντος*

§ 1 *Οὕτω διατέθεικέ με συκοφαντῶν, ὥστε — κατεσκεύασεν.* Non infrequens est apud Demosthenem hic usus verbi *διατιθέναι* sequente enuntiato consecutivo. Cf. VIII, 34. XIX, 82. LIV, 8. [XLIX], 9. [LVIII], 68. Notandum autem est his locis praeter [XLIX], 9 *ὥστε* semper coniungi cum infinitivo. Akenus*) regulam statuit in enuntiatis consecutivis a particula *ὥστε* inchoatis, si antecederet verbum *διατιθέναι*, semper infinitivum ponendum esse. Sed magna erat licentia scriptorum Graecorum in ponendo infinitivo aut verbo finito post *ὥστε* **) Illi quoque regulae cum alii tum hic locus obstant, (quem Akenius falso ad sententiam suam firmandam affert) Fortasse scriptor orationis duplicem infinitivum (*κατασκευάζειν — ἀμφισβητεῖν*) evitare studuit. — Apud Isocr. semel IV, 117 *διατιθ. ὥστε* c. inf. repperi, Lysias XXV, 27 verbum finitum, XXXII, 18 infinitivum praebet.

§ 17 *Ἐγκαλεῖ.* Contextus docet hanc formam futurum esse, ut recte Sandysius (ad h. l.) monet. Idem annotat Demosthenem bis adhibere formam futuri cum *εσ* XIX, 133 *ἐγκαλέσει*, XXIII, 123 *ἐγκαλέσουσιν****). Sed cavendum est, ne hanc ob causam discrepantiam sermonis statuamus. Praeclara est Cobeti de hac re commentatio (Nov. lect. p. 65 sq. p. 438), qui omnibus locis, quibus in libris manuscriptis bonorum scriptorum pedestris orationis Atticae futurum verbi *καλέω* et compositorum cum *εσ* exhiberetur, formam contractam restituendam esse mihi quidem persuasit. Explanat enim ille grammaticos et librarios posterioris temporis, quo forma contracta in cotidiano sermone plane evanuisset, ignaros sermonis vere Attici illud *εσ* inseruisse maxime iis locis, ubi

---

neque cum *καταῤῥέον* neque cum *συμβαίνει* cohaerere neque dat. incommodi esse potest (cf. edit.), interpolatum puto, de hoc loco nihil exposui.

*) Tempus u. Moduslehre p. 127.

**) Cf. Seume, De sententiis consecutivis Graecis. Diss. Gotting. 1883 p. 48. sq.

***) Cf. Veitch. Greek verbs. s. v. *καλέω*.

futurum flagitari primo obtutu intellexissent. Fugisse autem Graeculos illos permultas formas, in quibus futurum delitescere minus manifestum fuisset. Huc pertinent praeter locum huius orationis ex Demosthene V, 8 ἐγκαλεῖ, VIII, 14 παρακαλεῖν, XX, 5 προκαλεῖσθε. XXI, 119, 167. XXIV, 159. Itaque omnibus locis formam contractam restituendam esse probabilissimum est, praesertim cum haec coniectura inscriptionibus fulciatur. Meisterhansius*) enim formam cum εσ in inscriptionibus ante saeculum secundum a. Chr. n. non inveniri docet. Itaque hic locus nihil habet offensionis.

§ 32 Πρὸς ἕτερα χωρία ἀλλαξάμενος. Demosthenes verbo simplici non utitur, saepius composito, ut VI, 10 μηδ' ἀνταλλάττεσθαι μηδεμιᾶς χάριτος μηδ' ὠφελείας τὴν εἰς τοὺς Ἕλληνας εὔνοιαν, quem locum imitatus est is, qui conscripsit [ep.] II, 6. Praeterea cf. XVI, 5 ἀνταλλάττεσθαι Λακεδαιμονίους ἀντὶ Θηβαίων. Neque simplex neque compositum verbum apud optimos scriptores Atticos cum praepos. πρός, ut hoc loco, coniunctum repperi. Sed fortasse simplex verbum cum praepos. πρός de permutatione usurpatum proprium erat sermonis iudicialis.

Similiter ex sermone iudiciali sumpta sunt verba § 4 διαμαρτύρεσθαι, quod hoc loco de invocatione testium, apud Demosthenem saepius alio sensu usurpatur (vid. Reisk. ind. s. v.), et § 7 ἐπιμαρτύρεσθαι **).

Aliae denique discrepantiae leviores sunt et casui tribui possunt:

§ 1 Οὐκ ἦν ἄρα. Imperfectum cum οὐκ ἄρα, (de quo usu cf. Kuehn. gramm. II § 383, 5) ab oratoribus vix alio loco usurpatur.

*) Gramm. d. att. Inschr. p. 143.

**) Cf. Meier-Schoemann-Lipsius, Attischer Process p. 875: Die Herbeirufung u. Aufforderung der Umstehenden, Zeuge bei einer Handlung zu sein, geschieht durch die Worte διαμαρτύρεσθαι und ἐπιμαρτύρεσθαι. Verbum ἐπιμαρτύρ. praeter [XXXIV], 28, quem locum Lipsius annotat, [XLVII], 38 legitur. Locis, a Lipsio congestis, quibus διαμαρτύρ. notione illa legitur, add. [XLVII], 63. [XLVIII]. 47. [LII], 30.

§ 2 *Περιγενομένου μου τῆς τούτων σκευωρίας.* Demosthenes verbo *περιγίγν.* utitur IV, 15. XIX, 185 saep. Hoc solo loco genetivus pendens a verbo *περιγίγν.* rem, non personam significat.

§ 7 *Τηλικούτου.* Hoc pronomen significat et tantae aetatis et tantulae aetatis, ut hoc loco. Tritior quidem est prior notio (cf. Sandysium ad h. l), sed altera quoque non raro apud optimos scriptores occurrit (cf. Passowi lexic. s v.). A Demosthene de minore aetate non usurpatur, quod facile casu fieri poterat.

§ 13 *Δένδρα πεφυτευμένα.* Verbum *φυτεύειν* ponitur et de agro, qui conseritur, et de iis, quae in agro seruntur, ut hoc loco. Apud Demosthenem semel prior notio legitur.

§ 19 *Προσοφλεῖν ἀγαπήσαιμ' ἄν.* Verbum *ἀγαπᾶν*, si idem valet atque contentum esse, quod frequentissimum est apud Demosthenem, sequitur aut enuntiatum hypotheticum aut participium*), rarissime infinitivus, qui praeter hunc locum semel in orationibus genuinis positus est pendens a forma adiectivi verbalis III, 30 *ἀγαπητὸν ἦν μεταλαβεῖν.* Pariter [prooem.], 25. Uno loco apud Isocratem verbum plane eodem modo adhibitum est, atque hic: XVIII, 50 *οὐκ ἀγαπᾷ τῶν ἴσων τυγχάνειν***).

§ 24 *Ἀποδύρεσθαι.* Verbum compositum praeter hunc locum in corpore Demosthenico invenitur [XXXVII], 48. [XXXVIII], 19. [XLV], 57. [LX], 37. Verbum simplex *ὀδύρεσθαι* in orationibus genuinis legitur XXXVI, 36, saepius in reliquis orationibus.

§ 29 *Τὴν αὐτὴν δίκην δικάζονται.* Demosthenes hac locutione non utitur, semel ea legitur in oratione spuria [XL], 38. Apud alios oratores multa exempla exstant: Antiph. V, 78. Isocr. XVIII, 51. Isae. III, 9. Frequentissima est locutio

*) Coll. locos Rehd. i. ind. II. s. v.

**) Praeterea structura cum *ὅτι* invenitur, ut [XXXIX], 34. Benselerus, Isocr. Areop. p. 300 regulam statuit: „*Ἀγαπ.* c. inf., si id, quo est contentus aliquis, non revera ei est. Structurae c. part. respondet illa cum *ὅτι*, alteri c. inf. *εἰ* c. ind.“ Cum hac autem regula cum multi alii loci, tum ille, quem ex Isocr. attuli, discrepant.

apud Lysiam*). Itaque eam Atticam esse apparet, ita ut Demosthenem eam consulto evitasse putandum non sit.

§ 32 Ὑπὲρ ὧ — δικάζονται. Cf. IX, 44 ὑπὲρ ὧν ἂν μὴ διδῷ φόνου δικάζεσθαι. Hoc autem loco pron ὧν ad personas referendum est. (Cf. Rehd. ad. h. l.). Aptius comparare licet [LVI], 37 ὑπὲρ τούτου δικαζόμεθα.

Restat, ut exponam, quae verba, structurae, locutiones orationis adversus Calliclem adeo ab usu Demosthenis vel a sermone vere Attico discrepent, ut ex iis orationem Demosthenicam non esse suspicari possimus.

§ 1 Τὸν ἀνεψιὸν τὸν ἑαυτοῦ κατεσκεύασεν ἀμφισβητεῖν μοι τῶν χωρίων. Demosthenes κατασκευάζειν τινά c. inf. non usurpat. Quodam modo conferri potest XX, 91 τῶν πολιτευομένων τινὲς δυνηθέντες κατεσκεύασαν αὐτοῖς ἐξεῖναι νομοθετεῖν. Sed hoc loco verbum κατασκευάζειν sine obiecto personae positum est, ut ipse infinitivus obiecti locum teneat. Ne apud reliquos quidem oratores verbum eodem modo atque in hac oratione constructum legi.

§ 2 Σκευωρία substantivum in corpore oratorum Atticorum alibi non reperitur, σκευώρημα apud Demosthenem legitur XXXVI, 33 [XLI], 24.

Οὐχ ὡς αὐτὸς δυνησόμενος εἰπεῖν, ἀλλ' ἵνα καταμάθητε. Cf. Lys. XVI, 14, 17. Apud Demosthenem hunc particularum usum (οὐχ ὡς c. part. — ἀλλ' ἵνα) frustra quaeras. Apud Isocr. frequens est οὐχ ὡς — ἀλλ' ὡς, ut XV, 100.

§ 2 Ἐξ αὐτῶν τῶν πραγάτων καταμάθητε. Καταμανθάνειν ἔκ τινος apud Demosthenem non invenitur, frequenter autem μανθάνειν ἔκ τινος XVIII, 89, 218. XXIII, 69. XXVII, 32, 54. XXX, 5. Καταμανθάνειν absolute positum est XX, 98 ἀκούετε καὶ καταμανθάνετε, XXIII, 122 ὁρᾶτε καὶ καταμανθάνετε, utroque loco magna cum vi. Reliqui oratores verbum simplex et compositum sine differentia sensus usurpasse videntur, cf. Isocr. XII, 94.

---

*) Coll. loc. Schulze, De figura ethymologica, i. comment. i. h. Ribbeckii. Lips. 1888 p. 155 sq.

§ 3 Verbum *γειτνιᾶν* (id. § 23) pro *γείτονα εἶναι* Demosthenes evitat.

Ἐπιδημοῦντος Ἀθήνησιν. Cf. Ottonem in diss. s. De Demosthenis, quae fertur, adversus Phormionem oratione. Heidelb. 1889 ad [XXXIV], 2. Ex locis, quos ille collegit, apertum fit in orationibus genuinis verbum *ἐπιδημεῖν*, si orator de urbe patria loquitur, semper ita adhiberi, ut significatio urbis non addatur. Itaque hic locus abhorret ab usu Demosthenis.

§ 4 *Ἀπηγόρευσεν.* Cobetus (Var. lect. p. 38) *ἀγορεύσω, ἠγόρευσα* etc. et cognata omnia neque in simplici forma neque in composita in antiquo sermone Graeco usitata fuisse neque earum formarum exempla apud veteres exstare, nisi forte in uno alteroque loco depravato demonstrare studuit. Contra Veitchius (Greek verbs, s. v. *ἀγορεύω*) compluribus exemplis allatis illas formas retinendas esse censet. Sine dubio difficiles sunt ad mutandum cum multi alii loci tum hic, quo propter sequentem aoristum *διεμαρτύρατο* non *ἀπηγόρευεν*, sed *ἀπεῖπεν* de Cobeti sententia scribendum esset. Ut quaestionem solvamus, inscriptiones consulendae sunt. In quibus *ἀναγορεῦσαι* pro *ἀνειπεῖν* inde ab anno trecentesimo vicesimo quinto reperiri Meisterhansius (Gram. d. att. Inschr. p. 145) docet. Itaque has formas iam Demosthenis temporibus dispersim adhibitas esse probabile est. Demosthenem ipsum notitiam quidem earum habuisse apparet ex XIX, 178 *τῇ μὲν τῶν συμμάχων ἀντειπόντα εἰρήνῃ, τῇ δὲ Φιλοκράτους συναγορεύσαντα*, quo loco altera forma posita est, ne duo illa verba eodem modo caderent. Praeterea autem nullum exemplum exstat, ita ut forma *ἀπηγόρευσε* hic offensione non careat.

§ 5 *Καίτοι—δήπου.* Saepius invenitur apud oratores *καίτοι οὐ δήπου*, ut XXXVI, 22. Lys. VII, 26. Antiph. V, 85. Andoc. IV, 36. Nullum locum investigavi, quo in enuntiato positivo *καίτοι δήπου* positum sit.

§ 8 *Ὁμολογεῖται καὶ παρ᾽ αὐτῶν τούτων.* Hic usus praepos. *παρὰ* apud verbum passivum *ὁμολογεῖσθαι* alienus est a sermone Demosthenis, quippe qui semper constructione

ὁμολογ. ὑπό utatur: XVI, 3. XVIII, 251. In scriptis, quae suppositicia putantur, *ὑπό* legitur: [XXIX], 44. [XXXIV]. 47. [XLI], 24. [prooem.] 8, *παρά* positum est [XLI], 21. [XLIII], 3. [LVI], 37. [LVIII], 17. Etiam apud reliquos oratores utraque constructio invenitur*).

§ 9 *Τούτου ὑπάρχοντος.* § 14 *τούτων ὑπαρχόντων.* Pro hac transitionis formula, quam praeterea semel exhibet Lysias XIX, 11, Demosthenes semper scribit *τούτων οὕτως ἐχόντων*: V, 3. XVIII, 250, 315. XIX, 280 saep. Coll. loc. Spiekerus in comment. laud. p. 339.

§ 15 *Ἆρ' ὑμῖν δοκοῦσιν.* Offendendum est in eo, quod ad *ἆρα* non est addita negatio *οὐ*. Nam semper fere *ἆρ' οὐ* usurpatur in interrogationibus rhetoricis, quae pro enuntiato affirmativo positae sunt, (= nonne), ut hoc loco, mera autem partic *ἆρα* aut responsionem negativam flagitat, (= num), aut adhibetur in interrogationibus propriis, quibus ipsis responsio nondum continetur. Demosthenes hanc regulam accurate observat, ex Xenophonte quidem Sandysius exemplum affert (Cyr. IV, 6, 4), quod eundum usum praebet, atque hic locus.

§ 17 Verbo *εἰσδέχεσθαι* cum notione recipiendi Demosthenes non utitur. Hanc significationem apud eum habet verbum *ὑποδέχεσθαι*, ut I, 5. XIX. 73, 74, 333 etc., quod § 19 orationis, quam tractamus, idem valet atque excipere**).

§ 18 *Ὅπου δὲ μήτε.* Gebauerus (p. 62) in talibus enuntiatis per vocem *ὅπου* illatis negationem inveniri utramque et *οὐ* et *μή* docet. *Μή* plerumque adhiberi apparet, si *ὅπου* non tam causalem, quam conditionalem vim habet, ut hoc loco. Demosthenes autem vel in hypotheticis enuntiatis huius modi semper negatione *οὐ* utitur, ut XXI, 9, 205, XXII, 11.

§ 19 *Ἀνὰ χἄτερ' ἄττα τῶν χωρίων.* Praepositio *ἀνά* c. acc. praeter hunc locum in corpore oratorum Atticorum non invenitur, nisi Andoc. I, 38***).

*) Cf. Rau, De praepos. *παρά* usu (i. Curtius' Studien z. griech. u. lat. Gramm.) p. 27.

**) Cf. Windel, De oratione quae est inter Demosthenicas XVII. Progr. Schol. Thom. 1882 p. 9.

***) Cf. Lutz, Allgem. Beobacht. ueber d. Praepos. b. d. att. Rednern. Diss. Wuerzb. 1883 p. 12.

§ 20 *Τοῦτο παθόντος τοῦ χωρίου*, § 24 *κεραμίου παθεῖν*, § 25 *τειχίον ἔπαθεν*. Verbum *πάσχειν* a Demestheno nunquam usurpatur de rebus inanimis*).

§ 21 *Εἰ καὶ μηδὲν ἄλλο τοιαύτην γ' οὐδεμίαν αἰτίαν ἔχουσιν*. Cf. XVIII, 292 *καὶ εἰ μηδὲν ἄλλο, τοῦτο γ' ἔχειν δεῖ*. XXIII, 195 *καὶ εἰ μηδὲ δι' ἓν τῶν ἄλλων, διὰ τοῦτο — συμφέρει*. Lys. XXX, 18 *καὶ εἰ*. Isocr. XII, 27, 202, 216 *εἰ καὶ μηδὲν ἄλλο*. Demosthenes igitur in hac locutione plerumque per ellipsin usurpata semper scribit *καὶ εἰ*, orationis adversus Calliclem scriptor *εἰ καί*, qua ratione etiam Isocr. verba ponit. Inter *καὶ εἰ* et *εἰ καί* vix certum discrimen notionis statui potest**).

§ 22 *Τὴν τύχην στέργειν* (id. § 30). Verbum *στέργειν*, cum significat acquiescere, contentum esse, plerumque coniungitur cum dativo, ut XXIII, 171 *στέργειν ἠναγκάζετο τούτοις*, cum praepos. *ἐπί* [XXXIX], 6 *ἐπὶ τούτῳ*, absolute positum est XVIII, 112. [XXVI], 5. [prooem.], 26. Praeterea cf. Plato, Hipp. mai. p. 295B *στέρξω τῇ ἐμῇ τύχῃ*. Dinarch. I, 91. Isocr. III, 40. XII, 22 cum dat. Contra cum accus. Isocr. [I], 29 *στέργε τὰ παρόντα*. Lys. XXXIII, 4 *στέργειν ἂν ἦν ἀνάγκη τὴν τύχην*. — Ad substantivum *τύχη****) hoc loco desideratur attributum aliquod, ut partic. *παροῦσα*, quod additum est [prooem.], 43. Isocr. IX, 27. XVIII, 68. Videtur haec locutio *τὴγ τύχην στέργειν* ex vulgari sermone repetita esse.

§ 23 *Καταβλάπτειν* verbum apud Demosthenem legitur XXIII, 28, 50, utroque autem loco verba ex legibus proferuntur. Hoc verbum ad legum sermonem pertinere etiam ex eo apparet, quod saepe invenitur in inscriptionibus ad res publicas pertinentibus. Cf. Dittenberger, Sylloge I 353, 29 sq.

§ 28 *Πόσους βεβλάφθαι συμβέβηκεν*. Verbum *συμβαίνειν* a Demosthene alibi semper ita construitur, ut personae, cui

---

*) Cf. Schwarze i. diss. l. p. 9.

**) Kuehneri quidem distinctio (Gram. § 578) in paucissimos locos quadrat.

***) De usu et notione huius substantivi egit H. Meuss, Die Vorstell. v. Gottheit u. Schicksal b. d. att. Redn Ann. phil. 1889 p. 469.

aliquid contingit, dativo indicetur. Ex permultis exemplis unum affero XXI, 36 *τίσι συμβέβηκεν ὑβρισθῆναι.*

§ 31 *Σόφισμα* substantivum non reperitur nisi in orationibus spuriis: [XXV], 18. [XXXV], 2, 22. [XLIII], 9. [ep.] V, 3.

His de singulis verbis et locutionibus expositis non pauca a genere dicendi Demosthenico abhorrere et suspicionem movere neminem fugisse arbitror, multa autem ad Demosthenis elocutionem bene accommodata esse supra vidimus, ita ut ex his solis in neutram partem indicari neque discerni possit, utrum oratio LV Demostheni tribuenda sit necne. Fortasse ad hanc quaestionem explicandam plus conferent ea, quae in sequente capite de ornata exponam.

Caput III.

De ornatu.

Ornamenta et conformationes ad orationes privatas minus quam ad publicas apta esse propter ipsum diversum genus elucet Sed ne in illis quidem Demosthenes ornatum, quo et vim et pulchritudinem orationis augeret, plane neglegebat, quamquam maxime figurarum usum restringebat et omnia nimis artificiosa evitabat. Quaeramus igitur num scriptor orationis LV eandem rationem secutus sit. Ac primum quidem sententiarum figuras perlustremus.

Frequentissime et saepe molesto modo adhibentur contraposita particulis *μέν* et *δέ* facta. Comparandi causa commemoro in oratione XXXVI pro Phormione habita, quae continet LXIII §§, inveniri XXXVI, in oratione LIV adversus Cononem habita, quae continet XLIV §§, XXVI, in oratione adversus Calliclem habita, quae continet XXXV §§, XXXII eiusmodi contraposita. — Plurima sunt simplicia neque digna, quae afferantur. Offensionem mihi praebet contrapositum, quod legitur in § 3: *ζῶντος μὲν ἔτι Καλλιππίδου τοῦ τούτων πατρὸς καὶ γειτνιῶντος, — ὄντος δὲ Καλλικλέους*

ἀνδρὸς ἤδη καὶ ἐπιδημοῦντος Ἀθήνησιν. Artificiosius hic membrum membro respondet, quae ratio ad orationem tam humilis generis vix quadrat. — Quantopere scriptor adamaverit talia contraposita particulis *μέν* et *δέ* facta, etiam ex eo intellegi potest, quod iis nonnunquam plane inepto modo utitur, ut in § 12: *παρέξομαι μὲν καὶ μάρτυρας ὑμῖν τοὺς εἰδότας, πολὺ δέ — τῶν μαρτύρων ἰσχυρότερα τεκμήρια,* quo loco *παρέξομαι μέν* primum locum obtinet, ita ut exspectemus alterum membrum, quod oppositum sit illi verbo. Sed *παρέξομαι* est commune praedicatum utriusque membri, oppositio autem continetur substantivis *μάρτυρες* et *τεκμήρια.*

Eiusdem generis est contrapositum, quod legitur in § 20: *εἰ Καλλικλῆς μὲν εἰς τὸ χωρίον εἰσπεσόντος τοῦ ὕδατος ἁμαξιαίους λίθους προσκομίσας ἀποικοδομεῖ, τοῦ δὲ πατρός — ὡς ἀδικοῦντος ἐμοὶ βλάβης εἴληχε δίκην.* Hoc loco inepto illo usu particularum *μέν* et *δέ* vel perspicuitas graviter perturbatur. Nam nomini proprio *Καλλικλῆς,* quod utriusque membri subiectum est, addita est particula *μέν,* particula *δέ* autem adiuncta est ad *τοῦ πατρός,* ita ut primo obtutu haec duo substantiva inter se opposita esse videantur, quod falsum esse in fine demum periodi perspicimus. Tam dissolutum genus dicendi ab arte Demosthenis alienissimum est, rarissima etiam apud reliquos oratores talia exempla sunt, in quibus „particula *μέν* praemissae notioni communi addita est, non vocabulo alicui prioris membri sono ac voce efferendo" (Gebauerus p. 122). In corpore oratorum atticorum Gebauerus, homo in exemplis colligendis accuratissimus, duos modo locos eiusdem generis repperit (Andoc. I, 139. Hyper. pro Lyc. IX.), totidem, quot in oratione LV exstant.

Paulo magis oratio respondet sermoni Demosthenis in usu interrogationum rhetoricarum, quae vocantur: § 7 *διὰ τί γάρ;* § 13 *καίτοι τίς —; τίς δέ* § 15 *ἆρ᾽ ὑμῖν;* § 16 *τοῦ γὰρ ἕνεκα;* § 17 *ἔπειτα τίς ἂν* ib. *οὐκοῦν* § 18 *τί πείσομαι* ib. *τί λοιπόν* § 20 *πῶς ἂν οὖν* § 22 *οὐκοῦν* § 26 *τί δεῖ* § 28 *εἶτα τούτων.* Cf. Rehd. ind. I s. v. Frage, ex quo apparet Demosthenem frequenter interrogationes similes adhibuisse. — De interrogationibus, quibus breves

responsiones additae sunt, ut in § 13 *καίτοι τίς —; οὐδείς γε. τίς δέ —; οὐδὲ τοῦτ' οἶμαι* cf. Uhlium*), qui Demosthenem in universum tales responsiones in deliciis habuisse omnibus exemplis congestis demonstrat. Notandum autem est apud Demosthenem nullo loco reperiri responsionem *οὐδείς γε*, cum saepissime legatur *οὐδεὶς δήπου* aut *οὐδὲ εἷς*. Praeterea offensionem quandam praebet altera orationis LV responsio *οὐδὲ τοῦτ' οἶμαι*, quippe quae accommodata non sit ad interrogationem antecedentem *τίς δὲ πάλιν τοὺς αὑτοῦ προγόνους θάπτειν;* Si nonnulla verba mente assumimus, ut *οὐδὲ τοῦτ' οἶμαι* scil. *τινά ποιήσειν*, omnia quidem recte se habent, attamen tale genus dicendi accuratum non est. Si Demosthenem perlegimus tale vitium, ut ita dicam, in usu harum responsionem non reperimus.

Ironia, quae figuris sententiarum annumerari solet, continetur verbis § 18 *ἦ που σφόδρα θαρρῶν — ἀφείην ἄν*, quo loco vis ironica, quae iam efficitur voculis *ἦ που* augetur addito participio *θαρρῶν* (cf. Gebau. praef. p. XXI). Continuatur et augetur ironia verbis sequentibus *οὐ γὰρ ἐκπιεῖν γε δήπου* etc. Omnino tota oratio quasi conspersa est hilaritate quadam non inepta. Jocose dicta sunt etiam verba § 4 *καίτοι δῆλον ὅτι καὶ τόθ' ὕδατα πολλάκις ἐγένετο* (*ὕδατα γενέσθαι* = *ὕειν* cf. Sandysium ad. h. l. Krueger, Sprachl. § 61, 4, ann. 4 Thuc. II, 5. VI, 70). Eiusdem generis est, quod orator in § 30 dicit adversarium mente captum esse (*διεφθαρμένον ὑπὸ νόσου*). Dubitari potest, num talia accommodata sint ad Demosthenis genus dicendi. Veteres a Demosthene facetias plerumque abiudicaverunt**), cui iudicio in universum assentiri debemus. Saepius quidem Demosthenes acerba cavillatione in adversarios invehitur (cf. Blass. p. 164), attamen sine dubio placido illo Lysiae lepore caret. Ne in illis quidem orationibus, in quibus *ἦθος* Lysiacum inest, in

---

*) In diss. l. De prooem. coll. p. 23.

**) Cf. Pseudo-Longin. *Περὶ ὕψους* 34, 3 Aliter Cicero orator 90. Ceterum cf. Blass. p. 163 sq. p. 197 (Lord Borougham).

orationibus pro Phormione (XXXVI) et adversus Cononem (LIV) ullo loco orator severitatem deponit*) et facetiis talibus utitur, qualibus scriptor Callicleae. Iam vero, ne longius evagemur, redeamus ad ea tractanda, quae ad sententiarum figuras pertinent.

Sequitur, ut perscrutemur, quomodo orator usus sit invocationibus deorum. Quae octo locis usurpatae sunt: § 6, § 17 *νὴ Δία* § 9, § 35 *πρὸς Διὸς καὶ θεῶν* § 18 *πρὸς Διός* ib. *πρὸς θεῶν* § 26 *μὰ Δία* § 28 *ὦ γῆ καὶ θεοί.* Hae formulae ipsae offensionem non praebent praeter longiorem illam § 28 *ὦ γῆ καὶ θεοί,* quae et ad illum locum minus apta est neque reperitur apud Demosthenem, nisi in orationibus publicis**). Gravius vero offendendum est in nimia multitudine harum formularum (octo in XXXV §§), de qua re recte Kuehnleinius (l. l. p. 75) dicit: „Hic iurandi formularum numerus maior est, quam pro orationis exiguitate.“ Praeterea eiusdem verba (p. 73) de oratione [XXXIX], quae in LV quoque orationem optime quadrant, afferre mihi liceat: „In hac brevissima oratione — nimia atque insolens iurandi formularum frequentia admodum offendit. Nam Demosthenes, quamvis earum usu ceteris oratoribus excellat, tamen certum adhibet modum, quod non minus ex publicis orationibus quam privatis, quas illius esse constat, velut pro Phormione***), contra Cononen§), adversus Pantaenetum§§) facile cognoscas. — Demosthenis vero imitatores in talibus rebus iustum modum temere transgressos esse, spuria illa oratio contra Aristogitonem satis superque declarat.“

Iudices§§§) orator semel et vicies alloquitur, novies

---

*) Paene iocosa est severitas illa, quacum Ariston in Cononea (§ 9) ut insolentiam adversarii depingat, eum gallum imitatum esse queritur.

**) Cf. Kuehnleinium in progr. l. p. 25.

***) Quinque exempla.

§) Sex exempla.

§§) Quattuor exempla.

§§§) Cf. Schwebsch, De oratione, quae contra Leocharem a Demosthene scripta fertur. Diss. Berol. 1878 p. 69 sq.

verbis ὦ ἄνδρες δικασταί, duodecies verbis ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι. Haec varietas allocutionum nullam quidem suspicionem movet. Nam Demosthenes, quamquam in orationibus contra tutores habitis iudices semper ὦ ἄνδρες δικασταί appellat, in ceteris orationibus privatis utraque allocutione utitur. Minus cum Demosthenis usu congruit nimius numerus allocutionum, quo nulla alia oratio privata orationem adversus Calliclem aequat. Maximus enim est numerus in oratione XXXVI, in qua reperiuntur XXV allocutiones in LXII §§.

Bis actor causae adversarium nomine alloquitur ὦ Καλλίκλεις, in § 5 et § 29. In reliquis orationibus privatis Demosthenes tali allocutione semel utitur LIV, 40 ὦ Κόνων, frequentius in orationibus publicis. In universum Demosthenes saepe per complures paragraphos orationem non ad iudices, sed ad adversarios vertit, quod genus dicendi appellatur aversio, ut XXXVI, 19, 20, 22, 30—32, 39, 43—48, 49. LIV, 40 etc. Idem in oratione LV fit § 5--7 et § 29. — Ad eandem figuram pertinet oratio directa, quae adhibetur in § 5: Τεισία, τί ταῦτα ποιεῖς etc., qua referuntur verba, quae aliquis alius locutus est.*)

Iam transeamus ad tractandas verborum figuras. Dissolutio (ἀσύνδετον) semel legitur in § 31 Καλλάρῳ τὴν αὐτὴν δίκην δικάζονται, quo loco apta est.

Polysyndeta haec affero: § 9 οὔτε οὔτε — οὔτε — ἀλλ᾽ οὐδέ — οὐδέ, § 1 5 καί — καί — καί — καί πάλιν, § 26 μήτε — μήτε — τε — τε, § 33 μήτε — μήτε — μήτε — μήτε, § 34 καί — καί — καί. In his offendi non potest (cf. Rehd. ind. I s. v. Polysyndeton).

Tribus locis invenitur figura, quae vocatur anaphora: § 13 τίς — τίς δε, § 20 ἔβλαψε μέν — ἔβλαψε δέ**), § 35 ἕτοιμοι μέν — ἕτοιμοι δέ. Haec figura a Demosthene nonnunquam vel in privatis orationibus usurpatur, ut XXVII 30.

*) Similia saepe praebent orationes spuriae. Cf. Lortzing i. diss l. p. 41. Uhle, Quaestiones I, p. 72.

**) De hoc loco cf. Gebau. p. 125.

XXVIII, 78. XXXVI, 23*). Alia exempla praebent et suppositiciae orationes**) et reliqui oratores praeter Isocratem***).

Annominationes (*παρονομασίαι*) et alliterationes frequentes sunt apud Demosthenem in orationibus publicis, rarae in orationibus privatis§). Attamen ferri possunt annominationes, ut § 20 *πολλάκις ἤδη πολλούς* (cf. XVIII, 257 *πολλῶν πολλάκις*, XXIII, 113 *πολλοὶ πολλάκις*), § 21 *πολλῶν πολλά* (cf. XX, 78 *ἀπὸ πολλῶν πολλά*, XXI, 169 *πολλοὶ πολλά*), ib. *αὐτοὶ δι' ἑαυτούς* (cf. XXXVI, 51 *αὐτοὶ ἑαυτοῖς*), quamquam tantus numerus in oratione privata offensione non caret. Minime vero accommodatae sunt orationi tam tenuis generis tales annominationes, quales sunt in hoc enuntiato § 29 *εἰ καὶ ὑμῖν περιοικοδομεῖν ἔξεστι τό ὑμέτερον αὐτῶν χωρίον, καὶ ἡμῖν δήπου τὸ ἡμέτερον ἐξῆν, εἰ δ' ὁ πατὴρ ὁ ἐμὸς ἠδίκει περιοικοδομῶν ὑμᾶς, καὶ νῦν ὑμεῖς ἐμὲ ἀδικεῖτε περιοικοδομοῦντες οὕτως.* Hoc loco ratione nimis artificiosa annominationes cumulantur.

Praeterea suspicionem movent in § 10 *κάτω κατὰ τὴν ὁδόν* et in § 28 *τὸ παράπαν ἅπαντα.* Similia enim apud Demosthenem frustra quaeras. Molesta est etiam allitteratio in verbis § 7 *εἰδὼς ἀκριβῶς ὅπως.* Hoc vituperandum est, sive ratione sive neglegentia ortum est. Demosthenes quidem tam gravi allitteratione non utitur, nisi summa vis in oratione inest (Cf. Rehd. ind. I. s. v. allitter.). Neglegentiae aut casui tribuendae sunt allitterationes, quae leguntur in § 10 *τοῦ γὰρ χωρίου τοῦ τ' ἐμοῦ καὶ τοῦ τούτων τὸ μέσον* et in § 11 *ὁρῶν ὡς ἐγὼ τῶν εἰδότων ἀκούω καὶ τῶν γειτόνων ἐπινεμόντων ἅμα καὶ βαδιζόντων.* — Elegantiae non magnae sunt in § 13 *ἠδικοῦμεν — ᾠκοδομοῦμεν* et in § 27 *ἐκβεβλήκασιν — πεποιήκασιν* (cf. Rehd. ind. I. s. v. *ὁμοιοτέλευτον*).

---

*) Coll. loc. Schulze i. diss. l. Prolegomena etc. p. 75.

**) Cf. Uhle, Quaestiones I, p. 73.

***) Cf. Rehd. ind. I s. v. Anaphora, Gebau. p. 125.

§) Coll. loc. Rehd. ind. I. s. v. paronomasia Foertsch, Commentatio critica. Schimmelpfeng, Orationes, quae sunt in Macartatum et in Olympiodorum et in Lacriti exceptionem etc. Diss. Marp. 1887, p. 36.

Restat, ut ea excutiamus, quae praeter figuras ad ornatum spectant. In his quoque multa nobis occurrent, quae indigna sunt arte Demosthenis.

Molestissima est scriptoris inopia verborum. Pariter enim atque argumenta, de quorum iteratione supra verba feci, vocabula et locutiones tam inepte repetuntur, ut saepius nos eadem eisdem verbis expressa iterum et saepius legentes talis egestatis pertaedeat. Quantopere discrepant haec a facultate et ubertate Demosthenis:

§ 1 *συμβέβηκεν* § 5 *συνέβη* § 10 *συμβαίνει* § 11 *συνέβη* § 14 *συμβέβηκεν* § 15 *συμβέβηκεν* § 22 *συμβέβηκεν* § 24 *τὰ συμβάντα* § 25 *τὰ συμβάντα* ib. *τῶν συμβεβηκότων* § 28 *συμβέβηκεν*.

§ 1 *τὸν ἀνεψιὸν τὸν ἑαυτοῦ κατεσκεύασεν ἀμφισβητεῖν μοι τῶν χωρίων* § 31 *πείσας τὸν ἀνεψιὸν ἀμφισβητεῖν μοι τοῦ χωρίου* § 34 *τὸν ἀνεψιὸν κατεσκεύασεν*.

§ 1 *συκοφαντῶν* § 2 *συκοφαντοῦμαι* § 6 *συκοφαντοῦσιν* § 9 *συκοφαντοῦμαι* § 21 *συκοφαντοῦσιν* § 22 *συκοφαντεῖν* § 23 *συκοφαντεῖν* § 26 *συκοφαντοῦμαι* § 28 *συκοφαντοῦντες* § 29 *συκοφαντοῦσιν* § 33 *συκοφαντοῦντες* § 35 *συκοφαντοῦντες*.

§ 3 *περιῳκοδόμησεν* § 4 *περιοικοδομῶν* § 11 *περιῳκοδόμησεν* § 14 *περιοικοδομῆσαι* § 15 *περιῳκοδομήθη* § 20 *περιῳκοδόμησεν* § 26 *περιοικοδομῶν* § 29 *περιοικοδομεῖν* ib. *περιοικοδομῶν* § 30 *περιοικοδομοῦντες* ib. *περιοικοδομήσειεν*.

§ 3 *ἐγκαλῶν* § 7 *ἐνεκάλεσεν* § 17 *ἐγκαλεῖ* § 22 *μηδὲν ἐγκαλεῖν* § 26 *ἐνεκάλεσαν* ib. *μηδὲν μᾶλλον ἐγκαλοῦσιν* § 30 *οὐδὲν μᾶλλον ἐγκαλῶ* § 32 *ἐγκαλεῖν*.

§ 4 *ἠδίκει τινά ὁ πατήρ* § 6 *τὸν πατέρ᾽ ἀδικοῦντα* § 6 *ὁ πατὴρ οὐδὲν ἠδίκει* § 20 *τοῦ πατρὸς ὡς ἀδικοῦντος* § 26 *ὁ πατὴρ ἠδίκει* § 29 *ὁ πατὴρ ὁ ἐμὸς ἠδίκει*.

§ 6 *ἠξίωσεν* § 13 *ἀξιώσειεν* § 17 *ἀξιοῖ* § 28 *ἀξιώσει*.

§ 6 *ὥσπερ νῦν* ib. *ὥσπερ ἐμοῦ νῦν*.

§ 7 *ἰσχυροτάτας* § 14 *ἰσχυρότερος* § 35 *ἰσχυρότατα*.

§ 9 *τούτου ὑπάρχοντος* § 14 *τούτων ὑπαρχόντων*.

§ 9 *τοῖς εἰδόσιν* § 11 *τῶν εἰδότων* § 12 *τοὺς εἰδότας* § 35 *τοῖς εἰδόσιν*.

§ 10 *καὶ δή* § 11 *καὶ δή*.

§ 12 *βλάπτειν* § 18 *βλαπτομένων* § 20 *ἔβλαψε μέν* — *ἔβλαψε δέ* § 21 *βεβλαμμένων* ib. *βεβλαμμένοι* § 22 *βεβλαμμένος* § 23 *καταβεβλαμμένος* § 26 *βεβλαμμένων* § 28 *βεβλάφθαι*.

§ 17 *δέξαιτο* ib. *εἰσδεξάμενον* § 18 *δεξαμένῳ* § 19 *ὑποδεχομένη* ib. *δεχόμενος* ib. *δέχονται*.

§ 17 *πάλιν* ib. *πάλιν*.

§ 18 *πείσομαι* § 19 *ταῦτα πάσχων καὶ πολλὰ ἕτερα καὶ δεινά* § 20 *παθόντος* ib. *πεπόνθασιν* § 21 *πεπονθότες* ib. *πεπόνθασιν* § 24 *παθεῖν* § 25 *ἔπαθεν* § 26 *πολλὰ καὶ δεινὰ πεπονθότες* § 32 *πάντα τὰ δεινότατα πάσχουσιν*.

§ 19 *παραλαμβάνουσιν* ib. *παραλαμβάνει*.

§ 22 *τὴν τύχην στέργειν* § 30 *στέργω τὴν τύχην*.

§ 32 *τοῦ δεσπότου* ib. *τοῦ δεσπότου*.

Apparet ex his exemplis esse in scriptore orationis non copiam, sed exilitatem dicendi. Hoc iudicium firmatur, si perscrutamur, quomodo observatum sit genus quoddam dicendi, quod maxime proprium esse Demosthenis iam veteres critici*) viderunt. Frequentissime enim is coniungit verba, substantiva, adiectiva, adverbia, quae cognominata sunt, qua ratione oratio magnam vim et ubertatem accipit.**) Ex oratione LV huc referenda sunt:

§ 1 *πονηρὸς καὶ πλεονεκτικός* § 33 *τοὺς ἐπιβουλεύοντας καὶ συκοφαντοῦντας*.

Cum hoc parvo numero conferas verba cognominata in oratione LIV:

§ 1 *ὑγιάνας καὶ σωθείς* ib. *συμβουλευόντων καὶ παραινούντων* § 2 *ἀξιῶ καὶ δέομαι* § 4 *ἀσελγείας καὶ ὕβρεως* § 5 *λοιδορηθέντος καὶ κακίσαντος* ib. *κραυγὴ καὶ θόρυβος* § 6 *εὐλαβεῖσθαι καὶ φυλάττεσθαι* etc. etc.

Nescio, quomodo diversitas harum duarum orationum dilucidius demonstrari possit.

Denique tractanda mihi est positio verborum, num

---

*) Cf. Dionys. Halic. *Περὶ τῆς λεκτικῆς Δημοσθένους δεινότητος* c. 58.

**) Cf. Rehd. ind. I. s. v. Erweiterung. Uhle, Quaestiones I. p. 58.

offensionem praebeat. Hic non multa habeo, quae vituperem. Nempe scriptores Graecos frequentissime verba, quae ex sensu arte cohaerent, positione separare notissimum est. Itaque apud Demosthenem saepius verba similiter posita sunt atque in § 5 *μάρτυσιν εἶχες τοῖς τότε παραγενομένοις χρῆσθαι*, in § 25 *τειχίον γ' εἰ παλαιόν* etc. Evitantur autem ab optimis scriptoribus transgressiones verborum, quibus sensus et contextus turbantur. Itaque molestissima est in § 20 positio substantivi *τοῦ δὲ πατρός*, de qua re iam supra (p. 34) egi. Inelegans et dissoluta est positio in § 9 *τοῖς εἰδόσιν ἐπιτρέπειν ἐβουλόμην ἐγώ, τοῖς ἴσοις* et in § 18 *ὑπὸ τῶν ἐκ τοῦ χωρίου τοῦ ἐμοῦ τοῦ ὕδατος εἰσπεσόντος βλαπτομένων*. Offendi etiam potest in positione pronominis *μοι* in § 17 *ὁ μετὰ τοῦτον μοι γεωργῶν τῶν γειτόνων ἐγκαλεῖ*. Insolens denique est positio nominis proprii in § 2 *τὸν ἀδελφὸν τουτονὶ πείσας Καλλικράτην* et in § 4 *τοῦ τούτων πατρὸς Καλλιπίδου*.

In appendice quadam huius capitis de rhythmo et hiatu, quomodo eorum ratio habita sit, pauca exponam. Quod pertinet ad legem illam rhythmicam a Blassio (l. l. p. 99 sq.) constitutam, ex qua Demosthenes tres vel plures breves syllabas deinceps positas fugere solet, orationis LV scriptorem eius nullam notitiam habuisse dilucidum est (vid. Blass. l. l. p. 224). Cf. § 3 *ἔτεσιν ἅπασιν* § 4 *πολλάκις ἐγένετο* ib. *τινὰ περιοικοδομῶν* ib. *πατρὸς ἐπιβιόντος* § 5 *τότε παραγενομένοις* § 6 *πατέρ' ἀδικοῦντα* ib. *ἠνέγκατε τότε* etc. Ne Demosthenes ipse quidem in orationibus tutelaribus legem illam caute servat (cf. Blass. p. 202. p. 214), attamen in iis tam graves et frequentes brevium syllabarum cumulationes non reperies. Quamquam concedo hanc neglegentiam pro genere orationis non ita magni momenti esse. Plus valent ad rem explicandam, quae de hiatu dicenda sunt.

Benselerum*) primum ostendisse constat ab optimis Graecis scriptoribus pedestris orationis hiatum eodem fere modo evitatum esse atque a poetis. Demosthenes in uni-

*) De hiatu in oratoribus atticis, Fribergae 1841.

versum quidem hiatum fugit, admittit autem post pausas, quae in loquendo fiunt et quas plerumque interpunctione significare solemus. Neque hiatus apud Demosthenem offendit (Bensel. l. l. p. 62), qui exoritur e particulis quibusdam necessariis *καί, εἰ, ἤ, ὅτι, ὦ, μή* et similibus. Attamen nulla oratio Demosthenis hiatibus adeo vacat, ut non hic et ille hiatus admissus sit, qui illis regulis excusari nequeat*). Eo magis mirandum est, quod in oratione adversus Calliclem in omnibus aliis rebus neglegentissime composita nullus hiatus invenitur, in quo offendi possit. Nam propter pausam facile ferri possunt: § 2 *συκοφαντοῦμαι. ἐν* § 7 *μου. ἀλλά* § 17 *αὐτοῦ; ἀλλά* § 20 *τουτονί, ὅ* § 22 *εἴσω, ἔπειτα* § 25 *φεύγω. οὐ* § 26 *συκοφαντοῦμαι. οὔτε* (Cf. Blass. l. l. p. 224, ann. 7). Propter particulas necessarias admitti possunt: § 5 et § 29 *καίτοι ὦ Καλλίκλεις* § 20 *καίτοι εἰ ὅσοι,* praeterea pauci hiatus particula *καί* fiunt. Sed tales quoque hiatus, ut erat ratio Isocratis, orator, quod poterat, evitavisse videtur, quod cognoscimus, si comparandi causa orationem contra Cononem contemplamur. In qua hiatus in pausa multo frequentiores sunt, sexaginta fere in XLIV §§. Ne hiatus in pausa exoriretur, vel particulae *καθάπερ* (§ 9 et § 19)**) et *διότι* (§ 18 et § 34)***) pro usitatioribus *ὥσπερ* et *ὅτι* positae videntur esse.

Ex his unum, quod maioris momenti est, colligi potest: orationem a scriptore quam accuratissime perpolitam et excultam esse. Itaque ea, quae propter neglegentiam offensionem praebent, non ita excusari possunt, ut dicamus

---

*) Cf. Blass. p. 97. Permultos hiatus praebent orationes tutelariae cf. Benseler l. l. p. 131, 135.

**) *Καθάπερ* apud Demosthenem non legi nisi XXIII, 213. Nam XXIII, 41, 89 legum verba afferuntur, in quibus frequentissimum est.

***) Raros locos, quibus *διότι* pro *ὅτι* usurpatum est, iam p. 20 attuli. Ceterum cf. Baiter. ad Isocr. Paneygr. 149, qui dicit: „Isocrates ubicumque *διότι* usurpat, id fecisse videtur hiatus evitandi causa. Post consonantem enim illa forma non legitur.“ Idem est usus scriptoris orationis LV, neque vero Demosthenis.

scriptorem orationem propter humile genus non dignam existimavisse, quam maiore cum diligentia elaboraret. Neglegentiam autem, qua oratio composita est, iam in sequente capite copiosius explanabo.

Caput IV.
De sententiarum compositione.

Si in universum consideramus, quomodo in oratione LV comprehensiones compositae sint, scriptorem arte quadam rhetorica eruditum esse negari non potest. Quin etiam nonnulli circuitus ad Demosthenis genus dicendi prope accedunt, ut in § 5 *καίτοι — ἐξῆν δήπου τόθ᾽ ὑμῖν ὁρῶσιν — λέγειν — ἵν᾽ εἰ μὲν ἐβούλετο — μηδὲν ἡμῖν ἦν — εἰ δ᾽ ὠλιγώρησε — εἶχες*. Sandysius (ad. h. l.) confert XXVIII, 5 *ἀλλ᾽ ἐχρῆν — ἐπειδὴ ἐτελεύτησεν — εἰσκαλέσαντας — κελεῦσαι — ἵν᾽ εἴ τι ἐγίγνετο — ἦν*. Praeterea cf. XXVIII, 17 *ἵν᾽ εἰ μέν — εἰ δέ*. XXIII, 36 *ἵν᾽ ἐάν*. Eodem modo comparari potest circuitus § 32 *κἂν μὲν ἐγὼ τῶν χωρίων ἀποστῶ τούτοις ἀποδόμενος — οὐδὲν ἀδικεῖ Κάλλαρος· ἂν δ᾽ ἐγὼ μὴ βούλομαι τἀμαυτοῦ τούτοις προέσθαι, πάντα τὰ δεινότατα πάσχουσιν* cum verbis XXI, 120 *κἂν μὲν ἀφῶ τοῦτον ἐγὼ καὶ προδῶ τὴν ὑμετέραν καταχειροτονίαν, οὐδέν, ὡς ἔοικ᾽, ἀδικῶ. ἂν δ᾽ ἐπεξίω, λέλοιπα τὴν τάξιν*. Hi loci non solum periodorum structuris sed etiam sententiis similes sunt (cf. Gebau. p. 73). Sed sententia, quae illis verbis continetur, communis vulgarisque est et in plurimas orationes indiciales quadrat. Similitudinem quandam etiam habet Lys. XXX, 22 *ἡ βουλή — ὅταν μὲν ἔχῃ, — οὐδὲν ἐξαμαρτάνει, ὅταν δὲ — καταστῇ, ἀναγκάζεται.* — Alias periodos orationis propterea, quod artificiosius fictae essent, ad elocutionem Demosthenis, quae in privatis quidem orationibus

eius propria esset, minus accommodatas esse in antecedente capite exposui. Quare iam quaeramus, num comprehensiones in oratione reperiantur, quae propter neglegentiam offensionem praebeant. Videbimus autem nonnullas partes orationis arte Demosthenis adeo carere et tam laxe compositas esse, ut iis et elegantia et venustas meo quidem iudicio prorsus desit. Maxime hoc dicendum est de §§ 10 et 11, in quibus tam moleste participia cumulantur, ut in his duabus paragraphis duodecim participia legantur. Non minus turpis est participiorum coacervatio in § 23 *τῆς γὰρ μητρὸς τῆς ἐμῆς χρωμένης — ἀφικνουμέων — ἀμφοτέρων οἰκουσῶν — καὶ γειτνιωσῶν — χρωμένων — ἐλθούσης — ἀποδυραμένης — δεικνυούσης οὕτως ἐπυθόμεθα πάντα ἡμεῖς.*

Eadem neglegentia compositae sunt periodi, quae subsequuntur in § 24, quippe quae arta copulatione singularum partium omnino careant. Quam dissolute insertum est illud *οὕτω μοι πολλ' ἀγαθὰ γένοιτο, εἰ δὲ ψεύδομαι, τἀναντία τούτων*, quam laxe additum illud *καὶ ξηραινομένους ἰδεῖν αὐτήν*, quam molestum est illud *φάσκειν* in verbis *ἐλαίου δ' ἀποκλιθῆναι μὲν κεράμιον φάσκειν, οὐ μέντοι παθεῖν γ' οὐδέν*, quod sive ad rei sive ad adversarii matrem referimus, offensionem praebet. Si illud putamus, oratio directa inepte in indirectam mutata est. Sic enim respondent inter se antecedens verbum finitum *ἔφη* et infinitivus *φάσκειν* suspensus ab illo *λέγω*, quod positum est in principio enuntiati. Si vero *φάσκειν* intellegendum esse de adversarii matre censemus, in eo offendendum est, quod ad *φάσκειν* addita non est, personae significatio, quamquam subiectum mutatur. Tali ratione obscura fit oratio neque Blassio (p. 224—225) concedi potest hanc partem orationis, quamvis laxa sit, tamen venustate non carere.

Iam*) nonnulla dicenda sunt de singulis quibusdam

*) Nullam mentionem feci de verbis nonnullis molestis, quae quamquam in optimis libris mscr. Σ et A omissa sunt, omnes editiones exhibent: § 7 *εἰ ἠνέγκατε — νῦν*. Offensionem maxime propterea praebent, quod protasis *εἰ ἠνέγκατε*, quae attinet ad utrumque

sententiarum structuris. — Maxima est licentia scriptoris in usu participiorum. Saepius coniunguntur participia constructa cum absolutis: § 2 *ἐξελεγχθεὶς δὲ φανερῶς καὶ περιγενομένου μου τῆς τούτων σκευωρίας*, § 11 *ὁ πατὴρ ὁρῶν — καὶ τῶν γειτόνων ἐπινεμόντων*, § 26 *οὔτ' ἀδικῶν οὐδὲν οὔτε βεβλαμμένων, ἅ φασιν* (dissolutissima constructio, nam desideratur etiam ad genetivum absolutum significatio personae *τούτων*). Inveniuntur quidem tales structurae etiam apud Demosthenem ut XVIII, 194 *χειμῶνι χρησάμενον καὶ πονησάντων αὐτῷ τῶν σκευῶν*, XIX, 17 *πάντ' ἐξηπατημένοι καὶ τούτων — πεπραχότων**). Sed exempla rara atque dispersa sunt et praeter ea, quae attuli, non ita multa inveniuntur**). Callicleae autem scriptori talis copulatio nihil praebet offensionis. Accedit, quod alia quoque in usu participiorum abhorrent ab elocutione Demosthenis Mitto, in § 2 participio *οὐχ ὡς αὐτὸς δυνησόμενος* respondere enuntiatum *ἀλλ' ἵνα* etc., de qua re iam supra (p. 29) dixi. Multo molestior est alia ratio, qua orator utitur in genetivis absolutis ponendis. Tribus enim locis omittit subiectum genetivi absoluti. Praeter locum, quem iam attuli (§ 26 *βεβαλμμένων*) talis structura occurrit in § 23 *καὶ πρὸς ἀλλήλων ἀφικνουμένων*, quo loco ex contextu *αὐτῶν* supplendum est, et in § 30 *δῆλον γὰρ ὅτι μεγάλοις λίθοις ἀποικοδομηθέντος πάλιν τὸ ὕδωρ εἰς τὸ ἐμὸν ἥξει χωρίον*, qui locus difficultatem quandam praebet. Sandysius (ad. h. l) *ἀποικοδομηθέντος* genetivum neutrius generis esse

---

membrum contrarii: *οὐ γὰρ ἂν — κατεδιῃτήσασθε —, ἀλλ' — ἀπέφαινεν ἄν*, in altero demum membro posita est. Facile intellegi potest, unde orta sit interpolatio. Verba enim *ἀπέφαινεν ἂν ἐκεῖνος* falso referebantur ad tempus huius causae, quo quidem Tisias iam mortuus erat neque quidquam demonstrare potuit. Immo potius referenda sunt ad tempus, quo murus a Tisia aedificabatur. Si tum accusatores intercessissent — hic est sensus loci — pater demonstrasset, quo modo res se habuisset.

*) Cf. Rehd. ind. II, s. v. Part cipium p. 120. Duo loci, quos ille praeterea affert, alius generis sunt.

**) Ex permultis locis, quos Spiekerus l. l. p. 325 affert, unus huc pertinet XXI, 49.

putat, neque enim *τοῦ ὕδατος* neque *τοῦ χωρίου* suppleri posse. Sed talis genetivus prorsus inauditus esset. Sententiarum connexus propter oppositionem verborum, quae sequuntur, (*τὸ ἐμὸν χωρίον*) flagitat, ut ex antecedentibus (§ 29 *τὸ ὑμέτερον αὐτῶν χωρίον*) mente assumatur *τοῦ ὑμετέρου χωρίου*. — Reperiuntur quidem apud Demosthenem ipsum quoque genetivi absoluti omisso subiecto, ut IV, 2. IX, 5. XV, 17. XVIII, 288. XIX, 118. XXIII, 89 etc.*) Attamen numerus exemplorum apud scriptorem Callicleae pro tam exigua oratione maior est, quam ut usui Demosthenis respondeat.

Ad idem abruptum genus dicendi pertinet usus participiorum quorundam absolutorum, quae in accusativo posita sunt. Participium enim, quod legitur in § 11, *ἀμεληθέν*, neque cum *αὐτό* neque cum *τὸ ὕδωρ* coniungi posse recte Sandysius monet. Unum eius modi exemplum praeter trita illa participia absoluta *ἐξόν*, *δέον*, *προσῆκον* (cf. Rehd. ind. II, s. v. Participium) apud Demosthenem reperitur XXI, 199 *καταχειροτονηθὲν αὐτοῦ*.**) Nam participia absoluta, quae leguntur XXIV, 73 *δεσμοῦ προστετιμημένου****) *αὐτοῖς* et XXIV, 105 *προειρημένον αὐτῷ* propterea nihil valent, quod locis illis non Demosthenis ipsius, sed legum verba continentur, in quibus abruptum quendam sermonem usitatum fuisse constat. Vel unus ille locus formulam iudicialem continere videtur. Sine dubio vero nullum participium absolutum apud Demosthenem exstat, quod comparari possit cum illo *χαλεπὸν ὂν* in § 35. Talis structura laxior est, quam ut scriptori elegantis elocutionis curioso tribui possit. Demosthenes hoc loco *χαλεπτῆς οὔσης* scripsisset.

In universum dicendum est participia in oratione LV tam frequentia esse, quam in nulla alia oratione Demosthenica. Leguntur enim in singulis paginis (Teubn) circiter XVI

---

*) Coll. loc. Spiekerus l. l. p. 333.

**) Cf. Windel in progr. l. p. 13.

***) Hoc quidem loco Demosthenes legem a se fictam profert. Sed certo hic quoque sermonem legum imitatur.

participia, in orationibus autem genuinis plus minusve X, maxime XII. Iam Spiekerus (l. l. p. 341) vidit in nulla oratione privata Demosthenis tot genetivos absolutos reperiri, quot in hac, contra in orationibus spuriis eandem esse rationem.

Contraria est discrepantia ab elocutione Demosthenis in usu infinitivorum, quibus articulus additus est. Tales infinitivos Demosthenem prae ceteris oratoribus in deliciis habuisse constat. Wagnerus*) docet in ternis paragraphis reperiri singula exempla. Luculenter a tali ratione discrepat oratio adversus Calliclem. In XXXV enim paragraphis ne semel quidem infinitivo articulus additus est, quod praeterea in nulla oratione corporis Demosthenici reperitur, nisi in oratione [XLI], quam cum Calliclea aliis quoque rebus congruere iam supra demonstratum est. Talem differentiam non casu ortam, sed certae rationi tribuendam esse apparet, praesertim cum hic infinitivi usus apud reliquos oratores, maxime apud Lysiam, angustis terminis descriptus sit (cf. Wagnerum l. l p. 2).

Breviter tantum mentionem faciam de praetermissionibus quibusdam, quibus orator utitur. Nihil offensionis habent in § 2 *τὴν μὲν αὐτὸς χιλίων δραχμῶν* (scil. *καταδιαιτησάμενος*), *τὴν δὲ τὸν ἀδελφὸν τουτονὶ πείσας Καλλικράτην* (scil. *καταδιαιτήσασθαι*), in § 9 *ἀλλ᾽οὐχ οὗτοι* (scil. *ἐπιτρέπειν ἐβούλοντο*), in § 13 *οὐδὲ τοῦτ᾽ οἶμαι* (scil. *τινὰ ποιήσειν*), in § 19 *μὴ ὅτι δίκην λαβεῖν* (scil. *ἀξιώσαιμι ἄν*) *ἀλλά — ἀγαπήσαιμι ἄν.* In his exemplis ea, quae ommissa sunt, facile supplentur. Vituperanda autem est ellipsis, quae invenitur in § 21, quippe quae perspicuitate plane careat: *ἐκεῖνοι δέ, εἰ καὶ μηδὲν ἄλλο, τοιαύτην γ᾽οὐδεμίαν αἰτίαν ἔχοισιν.* Sandysius falso putat ad *εἰ καὶ μηδὲν ἄλλο* mente assumendum esse *διαφέρουσιν* et *αἰτίαν ἔχουσιν* referendum esse ad *αὐτοὶ δι᾽ αὐτοὺς βεβλαμ-*

*) De infinitivo apud oratores atticos cum articulo coniuncto. Progr. Schwerin. 1885 p. 2 Orationes quidem tutelariae continent septima quaque paragrapho singula exempla. Sed ne hic quidem numerus conspirat cum usu scriptoris orationis LV.

μένοι συκοφαντοῦσιν. Multo probabilior et ad connexum aptior est interpretatio G. H. Schaeferi, qui supplet *εἰ καὶ μηδὲν ἄλλο πεποιήκασι τοῦ φυλάττεσθαι τὴν ἐκ τοῦ ὕδατος ἐσομένην βλάβην* et *τοιαύτην αἰτίαν* explanat verbis *τοῦ αὐτοὶ δι' αὐτοὺς βεβλάφθαι.* Itaque sensus est: Vituperari quidem vicini possunt, quod nihil providerunt, neque vero iis obici potest eos sua ipsius culpa, ut accusatores, damnum maius accepisse.

Pauca restant, quae de sententiarum structura monenda sunt. In §§ 5 sq. orator tum unum tum complures adversarios appellans saepius sine idonea causa singularem et pluralem inter se permutat: *ἐξῆν δήπου ὑμῖν — ἵν' εἰ μὲν — μηδὲν ὑμῖν — εἰ δέ — εἶχες — ἐπιδεῖξαεί σε ἔδει — ἀπέφαινες — καταδιῃτήσασθε.* In § 15 constructio accusativi cum infinitivo excipitur enuntiato a particula *ὅτι* incipiente: *δοκοῦσι μαρτυρεῖν καὶ τὸ χωρίον εἶναι — καὶ ὅτι.* In § 31 a verbo *θαυμάζειν* pendet et substantivum et enuntiatum secundarium *μή θαυμάζετε — τήν τούτων προθυμίαν μηδ' εἰ.* Minime elegans est in § 32 structura enuntiati relativi *ὑπὲρ ὧν ὁ πατὴρ — φράξας ἐπεβίω δικάζονται.* Nam sententia obscura fit, quod attractio adhibita est, pronomen autem relativum pendet a participio *φράξας*, non a praedicato enuntiati *ἐπεβίω.* Vituperanda est etiam anacoluthia iam a Blassio (p. 224 ann. 8) notata in § 22 *ὃν ὅτι μέν — ἐξημάρτηκεν — αὐτίκ' εἴσεσθε σαφέστερον, ὅτι δέ — δίκην εἴληχε, τοῦθ' ὑμᾶς ἤδη πειράσομαι διδάσκειν.*

Quod nonnunquam oratio renovatur pronomine *οὗτος*, nullam praebet offensionem, si antecedit enuntiatum relativum, ut in § 16 *ὅ — τούτῳ.* Talia enim frequentia apud Demosthenem sunt (Cf. Rehd. ind. I. s. v. *οὗτος*). Contra tales redintegrationes pronomine *οὗτος* factae, quales leguntur in § 10 *καὶ δὴ καὶ τοῦτ' εἰσπῖπτον — τηνικαῦτα τοῦτο**) et in § 21 *τοσοῦτον τοίνυν διαφέρουσιν οὗτοι τῶν ἄλλων, ὥστε τετολμήκασιν οὗτοι* incompositi oratoris sunt.

---

*) Hic quidem codex A alterum *τοῦτο* omittit.

Quae cum ita sint, neminem esse puto, quin concedat, compositionem orationis esse laxissimam et saepissime a Demosthenis sermone recedere. Schaeferus quidem et Blassius orationem neglegenter compositam esse perspicientes hoc rationi scriptoris tribuerunt, qua ille Lysiam imitans dictionem orationis sermoni vulgari accommodasset. Minime quidem nego oratorem simplicitatem quandam affectare et genus illud dicendi imitari studere, quod Graeci rhetores *ἰσχνόν*, Romani subtile appellant. Sed quam male hoc illi cessit! Quantum abest ab eximia arte Lysiae! Consideremus praeclara illa Ciceronis (orat. 23, 76) de oratore subtili: „Summissus est et humilis, consuetudinem imitans, ab indisertis re plus, quam opinione, differens. Itaque eum, qui audiunt, quamvis ipsi infantes sint, tamen illo modo confidunt se posse dicere. — — Solutus quidem sit nec vagus tamen, ut ingredi libere, non ut licenter videatur errare.“ Itaque Cicero docet imitationem consuetudinis minime arte carere neque adeo modum excedere debere, ut oratio vaga fiat. Hac ipsa de causa oratio adversus Calliclem maxime vituperanda est, quod scriptor permultis locis simplicitatem appetens moderationem non adhibeat, ita ut oratio non simplex et venusta fiat, sed vulgaris et turpis. Vix quidem decerni potest, quae rationi, quae inscitiae tribuenda sint ex iis, quibus insulsitatem orationis demonstravi, certo indigna sunt et Lysia et Demosthene. Quantum enim distat a tali perversitate oratio contra Cononem habita, quacum oratio LV et a Schaefero et a Blassio minime apte, ut mihi videtur, comparata est. Hic habes sinceram, non affectatam simplicitatem, hic habes genus dicendi humile quidem, neque tamen vagum, hic perspicuam, non perversam dispositionem. Hic frustra quaeras participia tam inepte usurpata, ut in Calliclea, et alia illa vitia, quae supra perstrinxi*).

Itaque ut iam summam conficiam ex iis, quae in hac dissertatione exposui, dubitari non posse mihi videtur, quin

---

*) Spiekerus l. l. p. 341 unus ex hominibus doctis hanc diversitatem inter Cononeam et Callicleam praedicat.

oratio LV a Demosthene abiudicanda sit. Nam ut omittam singula illa, quae in usu verborum offensionem praebent, tanta est argumentorum perturbatio, tam perspicue ornatus abhorret ab usu et arte Demosthenis, adeo compositio squalet structuris ab eleganti genere dicendi alienis, ut obtrectaremus laudi Demosthenis, si tale opus ei tribueremus. Nullo enim modo ea, quae offensionem praebent, excusari possunt neque ita, ut verba corrupta esse putemus — nam tota fere oratio mutanda esset —, neque ut orationem propter humile genus minus accurate compositam esse arbitremur — nam in hiatus fuga diligentiam scriptoris vidimus —, neque ut censeamus orationem a Demosthene adolescente conscriptam esse — nam Demosthenem iam in primis orationibus perfectum fere oratorem se praestitisse nemo negat. Itaque facere non possumus, quin orationem LV, quae Demosthenis quidem temporibus sine dubio habita est, non a Demosthene ipso, sed ab oratore elegantis sermonis Attici minus periti, qui fortasse Lysiae et Demosthenis orationes legerat, conscriptam esse existimemus*).

---

*) Idem iudicandum est de oratione XLI. Cf. p. 18.

Vita.

Natus sum **Ernestus** Christianus Beneke anno h. s. LXIX Hanoverae patre Adolfo. Fidei addictus sum evangelicae. Per novem annos in urbe patria adii Lyceum II, quod tum Widaschii auspiciis florebat. Unde maturitatis examine superato duodeviginti fere annos natus Fribergam me contuli, ut linguarum et rerum gestarum studiis me dederem. Sex mensibus post civibus universitatis Lipsiensis ascriptus sum, ubi per tria semestria me docuerunt v. d. v. d. Brugmann, Hanssen, Lipsius, Ribbeck, Wundt, Zarncke †, proseminariis ut interessem benigne permiserunt Lipsius et Wachsmuth. Vere anni h. s. LXXXIX Halas Saxonum transmigravi, in qua universitate per sex semestria horum virorum illustrissimorum scholas frequentavi: Dittenberger, B. Erdmann, Hiller †, Keil, Kirchhoff, Lindner, Meyer, Robert, Sievers, Uphues. Ad proseminaria et seminaria me admiserunt: Dittenberger, Hiller, Keil, Meyer. Praeterea exercitationes, philosophicas adii, quorum moderator erat B. Erdmann.

Quibus omnibus viris gratias quam plurimas ago semperque habebo.

Gd 15.619
De Demosthenis quae fertur Adversus
Widener Library 004291833
3 2044 085 108 835